

Hist.

Zur

L. 48.

öffentlichen Prüfung

der

Schüler des Königl. Friedrichs-Collegiums

am

Montag den 5. und Dienstag den 6. October d. J.

ladet ergebenst ein

Dr. J. Horkel,

Königl. Professor und Director.



- 1) De Flavii Josephi fide atque auctoritate. — Abhandlung vom Oberlehrer Dr. Lewitz.
- 2) Jahresbericht des Directors.

Königsberg in Pr.,
Schultz'sche Hofbuchdruckerei.

1857.



308.

De fide Josephi

et auctoritate si quis recte velit ac perfecte judicare, quum necesse sit solerti cura perquirere, quale scriptoris ipsius fuerit ingenium, voluntas, integritas, vel quibus ex fontibus et qua diligentia singularum rerum cognitionem hauserit, tum vero maxime illud spectandum erit, in quae tempora vita ejus inciderit et quibus consiliis ductus ad scribendum accesserit. Ad quae non satis accurate attendisse putem virum cetera doctissimum ac de his literis meritissimum, J. A. Ernesti, in exercitationibus Flavianis anno 1776 scriptis (op. philol.-crit. edit. II. p. 363 sqq.), qui angustius fines argumentandi circumscribendo, Josephum ubique et semper in rebus Judaeorum enarrandis nihil aliud quam sacrorum librorum vestigia data opera persecutum fuisse et, quum appareret, multa esse in Josepho, quae ab illorum librorum argumento et summa longissime discederent, multo plures illa aetate, quam in nostro scripturae sacrae volumine, libros *ἱστορικῶν* existisse affirmavit. Quae quidem multis ex partibus perperam esse judicata vix est quod hodie fusius exponam, quum jam Schlosser (hist. antiquit. III., 2, p. 178 sq.) hunc errorem sine auctoris quidem mentione tangat. Neque tamen possum non mirari, quod inde ab Ernesti aetate, tanto temporis intervallo, praeter celeberrimum Jost (hist. Judaeor. II., in appendice p. 55—73), qui non sine studio et ira scripsit et nonnumquam quasi pro aris et focis pugnavit, 1) et clarissimum C. de Raumer (Palaestina p. 430), qui hanc causam ex suo consilio nonnisi transeundo tractavit, nemo fere inventus sit, qui hoc de Josepho disputandi munus ex professo susceperit et hanc de fide ejus quaestionem accuratius exposuerit, quum omnino assentiar Richtero (in praef. editionis Josephi) dicenti, hunc scriptorem ante multos dignum esse, qui theologorum non minus quam historicorum operam exerceat. Unde accedit, ut ne ea quidem, quae majorum nostrorum memoria, antiqua illa doctorum virorum industria et diligentia, multis abhinc annis eruta fuerint et collecta, usque ad hunc ipsam diem divulgata ac publici juris facta sint. Olim enim ante haec tria fere lustra equidem non sine summa animi oblectatione vidi, sed nihil aliud quam vidi et attigi, Turici Helvetiorum, in bibliotheca urbis scientissimorum virorum copia imprimis semper conspicuae, ultra biduum ibi non moratus, grandia aliqua volumina, ipsa manu doctissimi J. B. Ottii scripta, lexi Flaviani rudimenta, ex quibus multa commoda ad scriptoris explicationem redundatura fuisse putaverim; quae fore, ut publico usui traderentur vel saltem ex parte ad explanandum scriptorem adhiberentur a quoquam hujus artis perito usque ad

1) Velut p. II. p. 123, ubi Jost „Judaeorum, inquit, virtus tanta exstitit, tam impavida et „ineconcussa, ut in bello contra Romanos gerendo sine dubio Graecos illos contra innumerabiles „Persarum exercitus dimicantes exaequarent et revivisceret quodammodo ac resuscitaretur pugna- „rum apud Thermopylas, Marathonem, Plataeas gloria immortalis ac decus.“ — Quae vereor ne elegantius quam verius dicta sint.

hodiernum diem frustra speravi. Cujus vocabularii specimen quidem, sed pusillum et ex duobus tantum literis (A et Ω) excerptum, invenitur in ed. Josephi Haverkamp. II. p. 319—23 una cum ejusdem animadversionibus quibusdam (p. 305—18), quae virum magna doctrina praeditum et multa harum rerum scientia instructum fuisse probe ostendunt. Ejusdem B. Ottii librum, qui inscribitur „spicilegium triticeum ex flavo Flavii Josephi campo. Zürich 1733“ ne adspicere quidem mihi contigit, sed innotuit tantum ex Graesse hist. liter. I., p. 1222; ita ut ignorem, utrum quae ibi exponantur, putidae illi, ut fiebat nonnumquam isto aevo, inscriptioni consentanea sint an secus. Neque magis scio, num codex antiquitatum Josephi, olim in bibliotheca scholae Portensis asservatus, in quem scripsit „observationes F. G. Freytag, Naumburgae 1727,“ a quoquam nostra aetate perspectus et adhibitus sit, quamquam G. Dindorf quidem in praefatione suae editionis (part. II.) nullam ejus mentionem facit. Editio Bekkeri recentissima mihi non praesto est.

Sed consideranti mihi tota haec de Josephi fide et auctoritate quaestio longius quodammodo repetenda et quasi introrsus ex ipsius scriptoris natura et indole explicanda esse semper visa est. Facile enim intelligitur, in Fl. Josepho prorsus aliam esse rationem rerum enarrandarum, atque in caeteris antiquitatis scriptoribus, qui res gestas populorum se tradituros esse professi sunt. Quippe hi suorum quisque popularium res praeclare vel secus gestas, easque suis civibus tradiderunt Graeci ac Romani, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Sallustius, Livius. Unum Polybium si putaveris proxime abesse a Josephi ratione scribendi, non multum a vero aberraveris. Verum in Josepho frustra praeclaram illam atque eximiam speciem historici perfecti requires, cujus vitii quum ipsius scriptoris mores et naturam jure coarguere possis, tum non minus ortum temporum injuriā, animos voluntatesque hominum ad lubidinem susque deque habentium ac saepe, quo nolint, impetu suo abripientium. Nam quum eo spectent omnes, qui quidem aetatem tulerunt, libri Josephi, ut alienis gentibus, Romanis ac Graecis, magnitudinem, antiquitatem, dignitatem sui populi, jam tum domi forisque ad interitum ruentis, omni studio ac labore comprobaret, necessitate quadam infausta veluti coactus est, a malis vitisque causae recedere et, quae fraudulentè acta vel perverse gesta viderentur, bona illa ornando et augendo, excusare et quasi obnuere, virtutes vero, merita laudesque ita supra modum exaggerare et amplificare, ut in universum per totum opus, ubicumque occasio ferret, patroni potius ac defensoris et velut caussidici, quam enarratoris integri ac judicis incorrupti partes agere videatur. Sin vero saeculorum invidia, qua alia quoque Josephi scripta nobis surrepta esse mihi est veri simillimum,¹⁾ librum ejus de bello judaico vernaculo sermone compositum nobis servasset, sine

1) Liber quem scripturus erat, *περὶ τῶν νόμων τοῦ Μωϋσέως* memoratur ab ipso auctore in archaeol. III., cap. 5, §. 6. cap. 8, §. 9. 10. alius (?) *περὶ ἐθνῶν καὶ αἰτίων* ib. IV., cap. 8, §. 4. 44. alius *ἐν τέσσαρσι βιβλίοις περὶ θεοῦ καὶ οὐσίας αὐτοῦ* archaeol. XX., c. 11. 2. — Praeterea permultis in locis (cf. archaeol. prooem. §. 4. I., 10. §. 5. 12, §. 2. III., 4, §. 2. 6, §. 6. 11, §. 2. VI. 13, §. 10. X., 2, §. 2. XII. 4, §. 2. 10, §. 1. XIII. 2, §. 1. 7, §. 3. 9, §. 1. XIV. 6, §. 2., 7, §. 3. 11, §. 1. §. 2. XVIII. 2, §. 5. XX. 7, §. 2. §. 3. cap. 2, §. 6. 4, 3. 8, §. 7 et 9. 11, §. 1) disertis verbis ad alia a se scripta ablegat, quae neque in archaeologia neque in libris de bello jud. reperiuntur. Equidem crediderim, Flavium etiam res a Maccabaeis contra Seleucidarum reges gestas seorsim opere singulari scripsisse, cujus vestigia ubique deprehendes in libris XII. et XIII. archaeologiae, ante omnia in libro XII. 5, §. 2, ubi locus uno dumtaxat in codice inventus, certissima indicia hujus rei prae se fert; neque adsentior Hudsoni (ad hunc l. Nota s.) haec verba Josephi: (*διηγήσασθαι δὲ τὰ περὶ Ἀντίοχον*

dubio melius patrii animi specimen haberemus ac suoapte ingenio magis peculiare et quod a veritate propius abesset. Quem libellum ipse dicit (de b. jud. prooem. §. 1. 2.) patria lingua i. e. chaldaice sive aramaice scriptum se misisse prius τοῖς ἄνω βαρβάροις, i. e. Judaeis trans Euphratem extra fines Romani imperii per Persida, Babyloniam, Parthiam habitantibus; qui quidem liber et longe brevior fuisse videtur, quam qui nunc superstes est de eodem bello, et compositus inter ipsum armorum furorem ac strepitum. Nam quoniam constat, septem libros περὶ ἁλώσεως non multo post bellum finitum (vid. Lewitz, Quaestt. Flavian. I., p. 2), „quum veluti recens adhuc ante oculos versabatur,^a scriptos esse, manifesto apparet, alterum illum, quum jam ibi memoretur, sub ipsam originem ejusdem belli editum fuisse. Id quod confirmatur argumento ac fine ejus libelli, qui eo consilio scriptus fuit, ut Judaeorum in Oriente animos pietatemque excitaret ad auxilium patriae pro religione ac libertate pugnaturae strenue ferendum. Neque enim tum tempus sivit in expoliendo opere commorari neque cuiquam Hebraeorum peregrinorum bono fuisset, singula quaeque ante hoc bellum inter Judaeos gesta, Antiocho Epiphane et ceteris deinceps regibus usque ad Herodem regnantibus, continua narratione fusius persequi; quod utrumque factum est in libris περὶ ἁλώσεως, quales etiamnum legimus. Istum verò libellum hebraice scriptum, qui hodie etiam circumfertur et inter Judaeos magnam assecutus est auctoritatem, sub nomine Josephi Ben Gorion (Gorionidae), anno 1541 primo editum, sed longe antiquiorem, cave pro genuino nostri Flavii Josephi opere habeas; utpote qui Gothos et Longobardos memoret et nonnisi passim rara aliqua bene periti scriptoris indicia prae se ferat; quo pertinet locus ille, ubi Gallos, „qui Franci etiam nominantur,“ in exsequiis Herodis affuisse enarrat, in quibus perperam intellecta ac depravata esse opinor verba nostri Josephi, in bello jud. I., cap. 33, §. 9, ubi agmen Thracum, „Γερμανοὶ τε καὶ Ἰαλλᾶται“ circa lectum funebrem mortui honoris causa stipati fuisse recte dicuntur. Notum enim est aliunde, Herodem peregrinis militibus mercenariis usum fuisse. — Sed ut jam ad propositum revertamur, confitendum est, tam difficile esse, justum de Josepho ejusque auctoritate integrumque judicium ferre, ut mirum quantum semper distractae fuerint ac dissociatae doctorum virorum de ea re opiniones. Nam primis ecclesiae christianae nascentis saeculis in tanto honore Fl. Josephi opera habebantur, ut ejus nomen vel in catenis graecorum patrum, qui dicuntur, ecclesiae, christianis intermixtum legatur (Ittig. prolegom. ad Jos. p. 89. Walch. bibl. patr. Jenae 1770 cap. XV., 1). Talem autem judaici scriptoris dignitatem et exspectatione et praestantia auctoris majorem inde si non ortam, maturatam tamen et auctam arbitror, quod ipse sanctus Ambrosius, episcopus Mediolanensis (374—97), librorum de excidio Hierosolymorum epitomen sub nomine Egesippi i. e. Josephi sive Ἰωσήπου quinque libris facere et latine vertere non dedignatus est. (Cf. Barth Adversaria p. 1564. Graesse hist. lit. p. 1223.) Simul vero his ipsis temporibus, ut fit inter homines pro religionis placitis acerrime pugnantes, tam ante Eusebium quam ab eo ipso et

τὸν Εὐφρανὴν ἐν τῇ τῶν Μακκαβαίων βίβλῳ.) quibus alium librum a se compositum indicavit, „a sciolo adscripta, postea in textum irrepsisse.“ Mihi potius veri videtur simile, ipsum hoc Josephi de Maccabaeis opus esse perditum et eam ob causam et propter inscriptionis similitudinem alterum illud, quod nunc exstat: εἰς Μακκαβαίους λόγος, Flavii Josephi nomine, sed sine dubio et spurium (Giffröer, Philo, p. 173 sqq.) et auctore indignum (Quaestt. Flav. I., p. 3.) neque quidquam ad res Maccabaeorum gestas pertinens, a serioribus ei ipsi scriptori falso adtributum fuisse. Sed tota hac quaestio de Josephi scriptis nondum adhuc dijudicata est ac densissima quasi caligine obducta.

posthac verba Josephi scriptores ecclesiastici certatim suis quisque locis et consiliis explicabant, mutabant, adulterabant (Bunsen Hippolyt. I. 229). Quae quidem fraus, quam piam hodie dicere cum multis vereor, eo potissimum fine fabricabatur, ut auctoris, qui de rebus Judaicis vel solus vel praecipue ageret, patrocinio et auctoritate ne carerent in primordiis christianismi enarrandis confirmandisque, neve in tali argumento ethnicorum scriptorum opem, quos a daemonibus i. e. satana ejusque satellitibus inspiratos opinabantur, adhibere cogerentur. Ex hoc fonte fluxit, quod permultis in locis Josephi et auctoritatem et verba ab Eusebio aliisque scriptoribus ecclesiasticis in auxilium vocata invenimus. Judaeum enim scriptorem haecenus putabant suum.

Seriore vero aetate, literarum renascentium ope, quum vel hebetiori oculo manifestum esset, multis gravibusque in rebus Fl. Josephum a novi foederis libris dissentire; ut Baronii et Harduini hallucinationes et somnia taceam, quorum ille coeca obsoletarum institutionum cupiditate abductus, multa in historia temere turbavit ac depravavit, hic ne luculentissima quidem antiquitatis opera integra ac sincera esse reputavit (Jost. I. c. I. append. p. 10. II, 57), tales etiam viros, ut Scaligerum et Valesium, Josephum „niserum et coecutientem Judaeum appellare ejusque auctoritatem prae evangelistis quasi flocci facere“ observavimus (Quaest. Flavian I., p. 12). In tanta judiciorum discrepantia singula huc pertinentia, quae multa sunt, excutere ac diligenter persequi optimum videbitur. In quo in universum ante omnia jam hoc proponendum videtur, quaecumque ad ipsum auctorem ejusque indolem ac naturam et ad vitae condiciones vicissitudinesque pertineant, tali modo fuisse a fortuna comparata, ut fieri non potuerit, quin in scribendo non ubique veritatem unicam sequeretur, neque semper sincerum judicium de rebus hominibusque ferret. Cujus mali prima causa haec est, quod, quum ceteris in libris tum vero maxime in iis, quos de Hierosolymorum excidio composuit, bellum a popularibus suis contra Romanos susceptum, ejus ipse pars magna fuerat, excusare vel ut justum et necessarium comprobare studuit. Istis enim temporibus, cruda etiam tum armorum ac bellicae saevitiae memoria, cives sui bellum gravissimum ad interuicemionem usque extrema virium intentione modo gesserant: omnis respublica eorum collapsa, alienae ditioni subjecta, cum ceteris institutis civilibus ac religiosis, corruerat; victi, patria extorres, exules, fusi fugatique erant, templo sanctissimo diruto; ubique fere apud alienas gentes quum jam dudum fuissent contenti vel exosi, ista potissimum aetate tanta vexabantur invidia, ut Graeci Caesareae a Nerone legatione auxilium peterent ad eos civitate expellendos (Antiquitt. XX. 8, §. 9, de b. jud. II. 14, 4); Antiochenses autem Titum orarent, Judaeos juribus ac privilegiis orbaret, quae duobus columnis aereis diu ante erant incisa (ib. VII. 5, §. 2). Ipse vero Josephus, dum aliqua spes esset victoriae ac salutis, acer patriae propugnator, toto animo bello gerendo intentus, postremo victus, captus, solerti providentia ultimo supplicio vix evitato, mox subdola calliditate in dominorum favorem se insinuaverat, populo suo ejecto, disperso, trucidato; religionem, quam maximi faciebat, aut Romanis ignotam aut derisam dolebat: avitum deum, qui suo populo infausto ac jam in ultimam perniciem ruenti aeternam felicitatem promississet, propter hoc ipsum contemptum apud gentes. Accedit, quod Romani imperatores, Domitianus praesertim, ejus summo in favore erat (vita §. 76), maxime erant suspiciosi nec facile quidquam obliviscebantur, quod quis umquam contra suam potestatem vel imperii majestatem deliquisset. Quam arduum igitur peregrino, Judaeo, captivo suas res hoc bello gestas excusare vel se sine culpa egisse comprobare! quam necessarium, quovis modo gratiam dominorum sibi servare, quam se non meruisse optime ipse scivit! quam facile in suspiciones potentium incurrere, factis non solum, sed multo magis vocibus ac verbis, quae tum temporis corruptela erat ac delatorum improbitas! Atque

ejus sententiae permulta habemus argumenta et exempla omnibus in monumentis, quae Josephus posteris tradidit.

Nam sub ortum belli judaici in Galilaeam missus est a magistratibus Hierosolymitanis, quod synedrium appellabatur, vetere Indaeorum more ex septuaginta viris compositum, ejus olim, dum libertate fruebantur, summa in republica auctoritas fuerat. nunc vero potentia haud legitima et contra jussa Romanorum arrepta vel plebis consensu data. Numerus autem septenarius saepius apud Judaeos invenitur et sanctus quasi habitus esse videtur, id quod ortum, ut omnis eorum sapientia et eruditio, ex Mosi lege et libris, ubi septimus dies, quo deus creator quiescere dicebatur, sanctus nuncupatus est. Inde etiam hujus synedrii membra singula quaeque a libris rabbinicis, qua sunt jactantia rerumque ignorantia, septuaginta linguarum cognitionem, praeter scientiam rerum naturalium, medicinae, astrorum habuisse dicuntur (Jost I, 49). Ex eodem fonte fluxisse puto de septuaginta interpretibus biblicorum sacrorum Alexandrinis fabulam notissimam, ut scilicet Judaei in Aegyptum transjecti, qui patrium sermonem fere obliti erant, isti interpretationi majorem auctoritatem adtribuerent, utpote a summo senatu, a synedrio legitimo confectae. Galilaeorum etiam principes (τῶν ἐν γέλει vita §. 14). quum Josephus in eam provinciam venit, sunt septuaginta. Ad Neronem Judaei mittunt legatos 70 (b. j. II. 9). Septuaginta discipulos sibi elegit Christus. Posteriorum Jacobi in Aegyptum transmigrant 70; et quae sunt plura hujus generis. Sed quod Jost (l. c.) dicit ex 71 membris hoc synedrium constituisse, unum istum fuisse putem priori tempore summum sacerdotem, praesidem, Josephi aetate principem hujus senatus, qui ex seditione ortus, ex doctissimis et opulentissimis Pharisaeorum compositus, summam auctoritatem populi Hierosolymitani consensu exercebat. Quodsi Josephus nonnumquam potestatem exercuisse dicit populum urbis (ἐπὶ τοῦ δήμου, vita §. 52), vel τὴν κοινὴν (§. 61. 65) vel τὸ πλῆθος τῶν ἱεροσολυμιτῶν (ibid.) et quae sunt passim alia hoc modo expressa, ea non tam gravia esse opinor, veramque potestatem fuisse penes primores civitatis (οἱ πρότεροι τῶν ἱεροσολυμιτῶν ib. §. 60) i. e. synedrium illud, qui ei Galilaeae praefecturam decreto suo ratam fecerant, contra inimicos, quos multos habebat et quorum criminationes refutare non ultimum est consilium scriptorum suorum, Justum, Jonatham, Anniam, Simonem, Azarum (§. 38. 39. 53), in imperio eum tuebantur et res omnes ita administrabant, ut in urbe multitudo bello ac religionis furore exasperata, ut fit intestini tumultus temporibus, saepe primorum consilia, vi adhibita, alio flecteret et ad suam voluntatem cogeret. Quali vero munere Josephus in Galilaea re ipsa functus sit, quo consilio et quem ad finem eo missus fuerit, neque ex ipso auctore manifesto apparet, neque ipse in magistratu gerendo compertum habuit, neque principes civitatis tum constituere ausi erant. Delegatus fuit cum extraordinaria atque infinita potestate, sicuti simili rerum statu patrum memoria in Gallia audimus procuratores in provincias missos, qui supremi concilii Parisiensis placita sustentarent et omnino pro re agerent. Neque enim ab initio libenter ac sine haesitatione populus Judaeorum bellum cum Romanis subierat neque posthac, quum mox inevitabile factum erat, uno omnes animo gerebant. Quod quidem jam ex causis ejus certaminis perspicui potest multumque habet momenti in Josephi vita et agendi ratione recte explicanda. Nam quum ceterae provinciae, sicuti Gallia, Asia, Aegyptus, longe Judaea potentiores, ubi primum pacatae sunt, imperii Romani jugum patienter subirent ac vel proconsulum crudelitatem, avaritiam, petulantiam nonnisi querelis ac judiciis avertere vel mitigare studerent. Hebraeorum gens, per se parva ac debilis insuperque partium studiis vehementer agitata.

ferocissima rebellione Romanorum ditionem detrectavit, bellum apertum suscepit et odio inexpiabili interire quam obedire malle videbatur. Neque Porcii Festi, Albini, Gessii Flori, procuratorum Romanorum, vim ac libidinem afferre sufficit nec Caesarensium dolum ac scelus, Judaeos, qui apud eos habitabant, omni modo cavillantium et prementium (Jost. hist. Jud. II, 34. 36); quae vulgo prima fuisse dicitur belli hujus causa et occasio. Ejus modi enim casus nulla est terra Romanis subdita, quin saepius perpessa sit. Sed ad Judaicum bellum accessit altera quaedam ac paene dixerim unica his temporibus causa, religionis auctoritas et sacerdotalis potestatis fastus et superior sui aestimatio; ita ut totam illam seditionem, id quod perraro factum est in antiquitate, unice in religione positam et ab ea profectam fuisse jure nostro dicere possimus. His adjungendus alter locus, quo non minus diligenter animadverti debet, divulgata hoc aevo per Judaeos in Asia, ex longo intervallo jam propagata, a prophetis oriunda, superstitiosa opinio et exspectatio, fore ut populus a deo antiquitus sibi electus rerum in Oriente potiretur, Romani imperium amitterent (b. jud. prooem. §. 2. τοῖς μὲν Ἰουδαίοις ἐν ἐλπίδι κτήσεως, τοῖς δὲ ἐν ἀπαρέσεως ὁρᾷ γενέσθαι τὰ περὶ τὴν ἀνατολήν). Quae opinio, sanctissima vaticiniorum religione excitata, inter imperatorum Romanorum, qui tum erant, insaniam et temeritatem, republica intestinis conturbationibus labefactata, latius etiam diffusa esse et credita videtur, quum Josephus etiam Germanicum bellum, ducibus Classico et Vitellio primis Domitiani temporibus ortum (Tacit. hist. IV., 35, 57), eodem incitamento conflatum esse affirmet. (de b. jud. VII., c. 4. §. 2). Sed eam spem nimiam, frivolam et, Judaeorum ac Romanorum opibus comparatis, vix explicabilem, hodie non facile est comprehendere, si non animadvertamus, Josephum immodice et arroganter de viribus et potestate suae gentis et judicasse et pronunciasse, non tantum ut Graecis ac Romanis, sicuti jam praediximus, id persuaderet, sed hac opinionis arrogantia intimis medullis quasi et ab incunabulis recepta. Quid, quod gloriatur (de b. jud. prooem §. 4) ex omnibus civitatibus, quae Romanum jugum subierint, suam sine dubio ad summum felicitatis pervenisse? quid? nonne hoc bellum maximum omnium fuisse affirmat non modo quae sua aetas viderit, sed propemodum etiam eorum, quae auditione memoriae tradita fuerint? nonne regem Davidem tantum reliquisse opum narrat, quantum nemo alius regum habuit neque Hebraeorum neque aliarum gentium (Antiquitt. VII., cap. 15, §. 2)? et quae jam dudum taxata est et explosa jactantia de Alexandri M. fabulosa veneratione templi Hierosolymitani (antiquitt. XI., cap. 7, §. 8; conf. Gervinus in hist. literarum german. I., p. 217) nonne veritatis fines longe transgreditur? Atque eodem pertinet cum permultis aliis tota illa disputatio de Judaeis antiquitate et dignitate longe Graecos ceterosque populos omnes antecellentibus libris II. contra grammaticum Apionem instituta, si hic fusius de ea re disserere locus et occasio permitteret. Neque minus ille Pseudo-Josephus, de quo antea memoravimus, tenax priscarum suae gentis opinionum assectator, suo more eadem de popularibus praedicavit, ubi, (V. 24, p. 141): „non fuerunt, inquit, sapientiores „homines in mundo, quam fuerit populus domini, nec regnavit sapientia in alio populo quam „in populo dei.“

Ipsi autem Fl. Josepho ad hanc de Judaeis opinionem accessit, quod suae aetatis trigesimo, ultimo Neronis anno Romam profectus, sacerdotes aliquot servaturus, quos procurator Felix eo supplicii causa miserat (vita, prooem §. 3), omnium rerum perturbationem ac labantem imperii statum suis oculis coram viderat, corruptionem morum, grassantemque libidinum omnium luem ingenio ad Essenorum severitatem conformato perceperat. Quibus cognitis, non dubito, quin in pectore juvenili et patriae religionisque amore flagrante spes non dicam imperii et dominationis,

at libertatis patriae excitari utique ac laete quasi pullulare potuerit. Idem evenisse, Roma visa, scimus viro illi immortalis memoriae, Luthero nostro.

Denique notum est, desperationem ac minitabundum civitatis religionisque interitum, tamquam ultimum refugium spem et exspectationem vulgo apud Judaeos auxisse et provocasse de Messia jamjam venturo, et inter gentem, quae divinitus numini supremo addicta fuisset, nascituro (Tacit. hist. V., 13. Sueton. Vespas. c. 4) eique summum orbis terrarum imperium conciliaturo. Ipsum salvatorem humani generis, non multis ante annis ex se ipsis et inter ipsos comparentem, divinitus sibi missum non cognoverant, quia simplex candor verborum ejus opes et imperium orbis terrarum silentio aut contemptu praeterierat, sola animarum salute nunciata, quas ad supremum numen sua se ope atque efficacia reducturum esse certissimo vitae mortisque pignore promittebat. Sed huic de Messia mox venturo opinioni quum Josephum principesque ejus aetatis viros tum temporis fidem habuisse non putem, tamen genti Hebraeorum ita fuit jam diu insita, ut in simili clade, quum ab Aegypti regibus opprimerentur, ipse scriptor in primordiis civitatis enarrandis (de antiquitt. hebr. II, cap. 9 §. 2) contra biblicorum sacrorum auctoritatem, quae tanti se facere pedetentimque secuturum esse dicitur, ideo reges illos genus Hebraeorum extinctum cupivisse retulerit, quoniam e sacrorum scribis quidam 1) Pharaoni nunciasset, nasciturum illo circiter tempore puerum, qui Aegyptiorum dominatum valde deprimeret, Israelitas vero extolleret, gloria per omne aevum celeberrimum futurum; regem autem perterritum hoc vaticinio mandasse ut quidquid nasceretur stirpis virilis, deinceps interimeretur. Quam fabulam, cujus in vetere testamento (exodo, cap. 2) frustra vestigia persequeris, non dubito, quin Josephus a rabbinis mutuatus sit, in scholis sacra scripta explicando et exponendo traditam, non minus quam mirabilem illam Mosi contra Aethiopas expeditionem (Antiquitt. II., cap. 10) multaue alia, de quibus serius disputandi locus erit.

Hae igitur causae omnes, amor patriae libertatis, nimia fiducia et aestimatio gentis suae virum, religiosa persuasio de deo suo populo hereditario favore ac necessario quodam connexu patrocinate, odium peregrinae dominationis ac superstitionis, labes imperii Romani suis oculis percepta et cuique patens, denique exemplum et ardor popularium, hae, inquam, causae Josephum, quamquam animo saepe numero fluctuantem videbimus, validissimo impetu perpulerunt, ut bellum semel conflatum ex animo susceperet atque ultro et sua sponte gereret et sine ullo dubio, donec fieri posset, hostem acerrimum Romanorum se exhiberet. Neque ipsi, quamvis iterum iterumque paene ad taedium usque repetat, credere possumus, coactum tantum et necessitate quadam compulsum arma se contra Romanos cepisse, quae culpae excusatio et per se mala neque credita neque credibilis, uno illo loco notissimo (Vita §. 65) falsi manifesto vincitur, in quo contra civem suum et aequalem, Justum Tiberiensem, et ipsum belli judaici scriptorem, a criminationibus se purgare omni studio conatus est. Etenim Justus iste, Judaeus, nomine latine verso, quod tum temporis in consuetudinem abierat sicuti apud nostrates medio aevo, Pisti filius, vir graece satis doctus (Josephi vita §. 9 οὗδ' ἀπειρος παιδείας τῆς παρ' Ἑλλήνων), strenuus in agendo et adeo versutus et callidus, ut quamquam haud abstinuerat a parte belli, Agrippae regi, imperatorum Romanorum amico, gratus maneret et ab epistolis sive a commentariis factus esset, in suo

1) Hierophantam recte nominat Haverkamp. in adnotat. t. — En habes hic praeformatam Bethlehemiticae caedis ab Herode perpetratae effigiem, quam notum est Josephum silentio praeterisse.

libro, ejus inscriptio 1) a Photio (biblioth. 33) fuisse dicitur „Ἰουδαίων βασιλέων τῶν ἐν τοῖς στέμμασιν, „de regibus Jud. qui coronati fuerunt“, Flav. Josephum quum multis conviciis persecutus esset. tum vero, quod gravissimum nec sine invidia dictum est, aperte accusaverat, quod is bellum in Galilaea ultro occupasset et auctor fuisset seditionis adversus regem Agrippam et Romanos. Contra Josephus illum et Tiberienses, antequam ipse praetor Galilaeae esset constitutus, arma corripuisse obtinet et Syriae bellum intulisse vicosque incendisse. Quae refutatio quam debilis sit, quisque facile intelliget: rapina enim potius et praedatio quam bellum id fuit contra Romanos. Neque ea culpa gravis visa est, quoniam favorem regis Justus nancisceretur et usque ad mortem ejus teneret, neque Josephus crimen armorum a se captorum avertere ne conatur quidem. Neque multum distat altera accusatio, ubi nonnisi post obitum Agrippae Justus libros edidisse a Josepho dicitur, ne mendacii argueretur a rege omnium rerum peritissimo. In quo praetextum potius quam justam causam habuisse putem Josephum et malevolentius quam verius egisse contra inimicum, quum is multa sane narrare et aperire coactus esse potuerit. quae regi benefactori suo non poterant grata videri. Vix autem hodie, quamquam satis constat, Justum in armis contra Romanos fuisse, unius Josephi opere superstiti, pro certo effici poterit, utrum ille, Justusne ac Tiberienses prius bellum occuparint; nec res est nobis magni momenti. Hoc vero luce clarius est, Josephum pertinaciter contra Romanos pugnasse, quamvis animo saepe deficeret, multaque pro virili parte perpetrasse, quae cum hostem Romanorum et fuisse et merito habitum esse liquide demonstrent. Longum est, praesertim in tanta commentationis hujusce generis brevitate, quamquam haud abhorrens a proposito, omnia eventa hujus belli in Galilaea contra Gessium Florum et ipsum Vespasianum a Josepho gesti eo consilio considerare et excutere, ut eum, nisi se in ultimum discrimen perducere vellet, ubique veritatem dicere non potuisse appareat. Sed aliqua saltem prolusionis instar exponere necesse erit.

Igitur Tiberias, caput Galilaeae, a Nerone Agrippae juniore attributa, exorta rebellione. in ditionem venit Josephi et ab eo contra Romanos moenibus munita est. Tum primoribus urbis ad se vocatis persuadere conatur. palatium ab Herode juniore, tetrarcha, exstructum. quoniam animantium figuris exornatum esset, funditus tollendum sibi permitterent (in vita §. 12). Id enim legibus gentis esse vetitum. Proprie quidem id potius in Pharisaeorum doctrina priscam legem nimis severe explicationibus circumscribentium, quam in ipsis Mosi placitis positum fuit. Cherubim enim figuras, quibus Moses templum ornavit, cum nulla specie, quaecumque umquam visa fuisset ab hominum acie, similitudinem habuisse ait (antiquit. III, 6 §. 5); Salomonem vero. quum boum simulacra fecerat sub donario, quod mare appellabatur, et circa solum suum leonum imagines fabricari jusserat, offendisse et in praeceptis legis lapsum esse memorat (ib. VIII. c. 7 §. 5). Josephum autem scinus Pharisaeorum sectae maxime fuisse addictum. Hanc ob causam neque minus verecundia regis Agrippae, principes ab initio Josepho acriter resistere; hoc facinus appellare, seditionem contra Romanos, in quorum tutela rex esset; tandem victi persuasione, palatium dirui patiuntur. Priusquam autem id ordine et jussu magistratum fieri potuit, zelotae, duce Jesu Sapphia filio, cum plebe et nautarum multitudine (erat enim Tiberias in ora lacus Genezareth sita) palatium vi captum diripuerunt et incenderunt, Josepho auctore lucri cupiditate ducti. Tum vero Josephus animo fluctuare, anxie se gerere, seu simulationem id appellare mavis;

1) Genuinam vix puto, quoniam Justus historiam, eodem Photio teste, a Mose auspiciatus erat perduxeratque usque ad exitum Agrippae, regis Judaeorum postremi.

curam omnem et diligentiam adhibere, ut regis suppellectilem servaret, quaecumque ex raptorum manibus recuperari possent, candelabra ex aere Corinthio ac mensas pretiosas (ib. §. 13). Vides igitur Josephum tumultum ultro excitare et seditionem, domus regiae incendium suadere; quo facto, curae senioris calliditas crimine eum non absolvat, quoniam per eam favorem regis, quidquid posthac accideret, sibi tantum servari cupivit. Qui enim fieri potuit, ut plebs a praefecto provinciae excitata et religionis praetextu ad diripiendum palatium evocata cursum teneret et sibi temperaret ad voluntatem Josephi? Potius crediderim acceptam fuisse Josepho hanc plebis violentiam; ac propositum suum assecutum, tum demum astute etiam suae saluti prospexisse, curam agendo regiae suppellectilis. Sed quis credet Romanos haec non perspexisse? Nonne palam est, qui tali consilio egerit, eum posthac de se veritatem dicere non potuisse? Quid? nomen confitetur, se pecunias in Galilaea collectas Hierosolymitano synedrio transmississe ad bellum sustentandum? (in Vita §. 15). Ac porro urbem Gamala trans Jordanem sitam, in ipsis finibus regis Agrippae, contra duce[m] Aequicolum Modium a rege missum obtinere studet nec a pugnando contra copias regias abstinere, quae usque ad adventum Romanorum urbem servaturae erant (Vita §. 24); et ex ea frumenti copiam, quae reginae Berenices, uxoris Agrippae erat, in Galilaeam ad belli usum secum abducit. Ac posthac, ingravescente belli furore, quum incolae Gamalorum a rege et Romanis aperte desciscunt, suis opibus adjuvat, Romanis etiam absentibus (ib. §. 37. §. 43). Quamquam alia ex parte rursus quam incertum animum et fluctuantem, quam calliditatem prae se fert! Duos enim primores, servos regis, furorem plebis fugientes, benigne exceptos servat, quippe aliquando pro se, si exitus secus futurus sit, locuturos (§. 23. 31). Simili modo quum, Romano milite tandem appropinquante, Tiberiensium opulentiores, rei familiari timentes, in favorem Agrippae redituri essent eique ut ad se veniret urbemque reciperet scripsissent, rex autem clam per Crispum Judaeum, qui ipsi a cubiculo erat, responsa dedisset, Crispus eum literis proditoris indicibus ab agrestibus Galilaeis intercipitur. Quem Josephus quum per speciem vinciri jussisset et in custodiam sibi tradi, non multis post diebus, inebriato milite, qui eum custodiebat, evadere patitur et Galilaeos a fuga retracturos scite prohibet.

Urbs autem Sepphoris, in media Galilaea sita, post Tiberiadem maxima, Romanos, duce Cestio Gallo, ad se vocarat, ut seditiosos cives comprimeret. Quo audito, Josephus eum agrestium manu, priusquam Romanus miles venire poterat, ad urbem accessit eamque vi cepit (Vita §. 65) neque multo culpam reddere leviolem poterit, quod gloriatur se milites suos a direptione urbis aruisse.

Rebus igitur tali modo gestis, quis est, qui miretur, Judaeos, maxime rusticos Galilaeae homines, patriae sincere addictos, incultos et agrestes, nec scientes vulgaris prudentiae consilia atque calliditatem hominum in republica versantium componere cum simplici religionis patriaeque amore, saepissime Josepho, ipso teste, diffisos esse? Neque minus etiam altera ex parte Pharisaeorum factio violentissima et antiquae prosapiae, qui ardentissimo religionis zelo flagrabant (zelotae propter hoc ipsum dicti) nec quidquam antiquius habebant, quam ut peregrinam superstitionem, inde ab Herode rege et successoribus ejus in Judaeos ad firmandum imperium translata[m], quocumque modo e medio tollerent, quum fluctuantem animo saepe vidissent, eum parum sincere bellum contra Romanos gerere crediderunt et perperam administrare provinciam ei traditam et clam et palam dictitabant. Unde factum est, ut ipse ubique hanc Pharisaeorum partem debilitare et amovere conaretur, nonnunquam vi saepius dolo, id quod majoribus saltem in oppidis, Tiberiade, Sepphori, optatum eventum habuit (Vita §§. 6. 60. 62). Nonne igitur necesse erat, eorum

incolas, qui quidem habebant quod amitterent, et relictos se videbant a ducibus belli studiosissimis, tandem fractos animo, factionibus distractos, fessos belli calamitatibus, Romanos duce clarissimo Vespasiano jam appropinquantibus omnibus votis ad se vocasse ac libenter excepisse? Atque ipse Josephus tali agendi ratione eximios successus se impetraturum sperare non potuit, quia dominationem retinere voluit, patriae libertatem reddere voluit, extrema pati, tantis praemiis propositis, anxie detrectavit.

Haec autem omnia gesta ante Romanorum adventum. Denique legiones bellico splendore ac terrore affluere, Vespasiano ac Tito filio cum Placido tribuno militum ducibus (bel. jud. III, 4 §. 1). Tum vero animo prorsus cadere Josephus; nihil memorabile perpetrare, quod tantis inceptis ac jactationibus dignum esset. Ipse retulit (l. c.), Romanos cum sexaginta millibus militum contra Judaeos militasse, inter quos tredecim millia auxiliarium, Arabum, Syrorum. Sed quid viri fortis hostes numero comprehendere refert! Contra Josephus non minus ducenta millia virorum militantium in una Galilaea provincia se habuisse affirmat (Jost. hist. Jud. II. 73), quorum alterutram partem in armis tenebat, ceteris ad agrum colendum et negotia quotidiana reservatis et interim domum dimissis. Tali multitudine, cujus virtutem bellicam eminenter collaudat (de bel. jud. III, 2, §. 2), acerrime ac diu Romanis resisti potuit, praesertim quum Judaea majorem etiam numerum militum haberet et tridui iter tantum a Galilaea abesset recta via per Samariam cuncti (de vita §. 52), quo facilius fuisset auxilium mutuo ferre et Romanas copias partiri aut ab utroque latere aggredi. Sed negari nequit, in numeris a Josepho allatis summam esse sive negligentiam sive incertitiam sive jactationem. Nonne in Galilaea, se administrante provinciam, fuisse dicit ducenta et quatuor oppida et vicos, quorum minimum supra quindecim millia habitatorum habuisse? (de bel. jud. III, c. 3, §. 2). Quae celeberrimus C. Ritter (Asia, VIII, parte 6 p. 688) utrum vera fuerint an exaggerata dijudicare haesitat, sed equidem, ceterorum numerorum computatione perspecta, sive ex turpi ignorantia veri sive ex vana ostentatione orta dicere non dubitem. Quippe excusaretur quodammodo in Josepho belli ardor, si statim ab initio tanto copiarum robore confidere et adjuvari re vera potuisset; fortasse etiam ipse sibi placuisset tot millium dux et caput a synedrio sui populi constitutus. Sed qui quaeso fieri potuit, ut in Galilaeae finibus, cujus ambitum Ritter (l. c.) fuisse dicit nonaginta milliariorum quadratorum, tot homines et essent et viverent? Nonne haec et naturae et experientiae legibus prorsus repugnant? Nam si ista ducenta et quatuor oppida cum suis incolis, vel minimo illo numero quindecim millium accepto, multiplicamus, efficitur stupenda habitatorum multitudo: supra quadragies centena millia! Plures igitur vides fuisse tum Judaeos in una provincia Galilaea, quam hodie fortasse, tot saeculorum intervallo, per totum orbem terrarum numerantur Judaei! Vides per singulum quodque milliarium quadratum vixisse quadraginta et quatuor millia hominum, id quod fertilissimas et frequentissimas regiones terrae, veluti Belgicum et Sinenses, etiam nostris temporibus immane quantum superat!! Sed alia quoque sunt hujus generis, in quibus fidem Josepho non denegare non possumus, quorum nonnulla saltem afferre liceat. Etenim quum Cumanus, procurator Judaeae (de bel. jud. II, 12, 1 antiquit. XX. 5, §. 3. 6 §. 1) sub Claudio Caesare, primo Paschatis die festo, tumultu orto ex petulantia militis Romani, exercitum jussisset sumtis armis in Antoniam convenire, arcem templo imminentem, Judaeorum multitudo metu percussa in fugam propere se dejecit ad inferiores urbis partes per angustos viarum exitus, contusique sunt ac contriti mutua compressione inter fugiendum aut viginti millia, ut posteriore loco, aut decem millia hominum, ut altero sibi ipse non conveniens dicit (anno 48 p. Chr.)! Josephi vero aetate Cestius Gallus.

Syriam provinciam pro praetore regens, Gessium Florum procuratorem Judaeae fecerat, qui cum vin et rapinas omnis generis exerceret, tandem a Judaeis apud Gallum Hierosolyma venientem Azymorum festo accusatus est, tam admirabili consensu, ut Josephus cum cum lamentationibus circumstetisse dicat (de bel. jud. II, 14, §. 3. οὐκ ἐλάττους τριακοσίων μυριάδων) tricies centena millia hominum! Nihilo minus tamen idem Gallus ubi posthac seditionem eam, vi armorum adhibita, comprimere studet, pugna exorta et Judaeis, ut par est, victoribus, viginti quinque milites ex suis amittit (Jost hist. Jud. II, 59). At haec festi Paschatis diebus facta sunt, quibus ex tota Judaea Hierosolymitanum templum sacra faciendi causa ingens multitudo adire in more habebat. Audio. Verum Caesareae etiam, urbe non praegrandi, sub ortum belli, a Graecis Syrisque incolis atroci caede Judaei omnes necantur, una hora supra viginti millia (de bel. j. II. 18 §. 1. ed. Dindorf, cap. XXXIII. ed. Havercamp.), et ista strage per omnem Syriam continuata, Scythopoli tredecim millia, Damasci decem millia interimuntur. Nihilo minus tamen ex tam horrificis et sanguinariis caedibus tanta denuo Judaeorum multitudo pullulat, ut per Syriam omnia igni et ferro vastare et ferocissime nec sine eventu cum hostibus pugnare valeant (ib. §. 2)! Quis est qui talia credat? Quis tandem tot cadaverum acervos numeravit? quis vidit? quibus ex fontibus monumentisque haurire potuit, nisi ex vagis suorum popularium confabulationibus? Nonne haec historiae justae atque integrae legibus plane contraria sunt? Sed ejusmodi portenta et hallucinationes una cum multis similibus, de quibus posthac videbimus, ortas sine dubitatione dixerim ex sacerdotali scribendi genere, quod ex sui populi eruditione et literarum monumentis hereditario quasi jure ad se traduxit; in quo non ipsam rerum veritatem quaerunt scriptores, sed cum studio et ira certum quoddam consilium effrenate persequuntur nec tam rationis acie quam pectoris fervore omnia examinant ac dijudicant. Quod consilium in Josepho nullo modo nos latere potest, nec facile falleremur, si talia scripsisse eum opinamur, ut gentis suae magnitudinem tolleret, seditionem popularium apud Romanos excusaret viribus et bellatorum copia suo jure confidentium, necessitatem denique belli quasi ad oculos demonstraret.

Ubi vero ea refert, quae cum Romanorum rebus arete sunt conjuncta, tum necessitate quadam coactus, propius a veritate abest neque tam facile fines transgreditur. Id quod fere factum est in bello contra Vespasianum ipsum gesto, in quo enarrando suspicor Josephum commentariis ab eo imperatore scriptis usum esse, quos ille sine dubio legit (In Vita §. 65) et commemorat, nobis temporum invidia abstulit; quorum ab auctoritate imperatoria decedere periculosum erat minimeque conveniens. Sic in pugnis hujusce temporis de suis unum cecidisse tradidit (Vita §. 71), nocturno quidem proelio, vel septem milites contra Syllam regis Agrippae ducem, vel septendecim contra Vespasianum (de b. jud. III, c. 7 §. 5) ac tres ad Jotapatam contra Placidum, septem Romanorum interfectis (ib. cap. 6 §. 1). Neque minus tamen in hac etiam parte belli, quamvis calliditatem et solertem suae salutis providentiam haudquaquam omitteret, hostilem animum adversus Romanos aperte exhibuit nec a pugnando plane abhorruit. Nam postquam certior factus est Romanos appropinquare ac fere in eo esse, ut manus consererent, Judaeis, antequam hostem conspicerent, fuga disjectis, cum reliquiis exercitus Tiberiada se contulit (de bel. jud. III, c. 6 §. 3), neque ibi, urbe aperta civibusque non satis certis, tutum se ratus, Jotapatam aufugit. Frustra jam quaeras, ubi tunc fuerint ducenta illa millia fortissimorum virorum, quos in armis se tenuisse gloriatus est. Num igitur ei credamus, in hac ipsa evasione affirmanti (ib. cap. 7 §. 7) saepe se optasse potius emori, quam patria prodita et belli sibi commissi administratione dedecorata, apud illos feliciter agere quibuscum pugnatum

missus fuisset? Erat autem illa urbs Jotapata receptaculum firmissimum natura situque ac montibus avius validum ac prope inexpugnabile (l. c.), „profundis vallibus adeo praeceps, ut in eas prospicere cupientium visus ante deficiat quam ad imum adveniat“, semel jam ante Vespasiani adventum, sed frustra a Placido oppugnatum (ib. cap. 6 §. 1). Cujus castelli situm et naturam primus reperit et visit et accurate descripsit noster civis et amicus, Gust. Schultz, immatura morte summo et suorum et literarum detrimento abreptus (Ritter, Asia VIII. parte 6, p. 765 sqq.). Statim igitur a Vespasiani militibus cingitur, acriterque pro loco et viribus pugnat, ut uno proelio tredecim hostium interfectos, complures sauciatos fuisse referat (cap. 7 §. 5). Mox paucis diebus interjectis, quum, missilium machinis circa urbem a septentrionali parte, ubi solum adiri potuit, jam positis, Romanorum artem belli et peritiam vereri coepisset, de fuga iterum cum primoribus Jotapatae deliberavit; sed impeditus a multitudine, frustra conatus iis persuadere (ib. §. 16.), se illorum tantummodo commodo egressurum ex urbe, quod Romani ipsum solum capere quum maxime cuperent et hanc ob causam ad obsidionem oppidumque expugnandum vehementius excitarentur, per vim retinetur et tum vero necessitate coactus bellum cum summa alacritate quam diutissime ducere studet, desperatione magis quam spe salutis, ita ut obsessionem urbis usque ad quadagesimum septimum diem moraretur. Ac tum demum expugnata est inruenta paene ab Romanis victoria, nec sine Judaei alicujus transfugae fraude ac prodicione (ibid., §. 33); quem vix abstinco quin ipsius Josephi instigatione clandestina et impulsu ad hostes fugisse urbemque prodidisse suspicer. Quod crimen sane quam gravissimum etsi certis documentis demonstrari nequeat, id quod nemo fere exspectabit, confirmari tamen auctoris ipsius testimonio posse mihi videtur. Nam quum quadagesimo et septimo obsidionis die, aggeribus Romanorum jam supra altitudinem murorum erectis, transfuga iste Vespasiano aperuisset, circa extremam noctis vigiliam custodes urbis ad unum omnes requiem et somnum ex malis diei quaerere, non tantum sine pugna et nullo resistente Titus et Placidus cum paucis militibus arcem occupaverunt, sed etiam, quum jam plane dies illuxisset, in mediam civitatem penetraverunt, incolis ne tum quidem imminens interitum sentientibus (ib. §§. 33. 34.). Quod quo modo fieri potuerit in urbe munitissima sine summa ducis aut incuria et negligentia aut voluntate et fraude, equidem non intelligo. Deinde vero, id quod certissimum mihi videtur culpae argumentum, quum posthac Josephus captus Vespasiano, coram filio Tito duobusque amicis, praenunciasset, eum Caesarem et Imperatorem mox in Neronis locum venturum et alter amicorum se mirari dixisset, quod tanta rerum futurarum scientia praeditus, suam ipse captivitatem urbisque excidium non novisset, Josephus respondit (d. b. j. III., 7 §. 9) Jotapatenis utique se praedixisse et excidium post septimum et quadagesimum diem oppugnationis et fore ut ipse vivus a Romanis caperetur. Quae, captivis clam inquisitis, vera reperta sunt. Quibus omnibus rite consideratis et apte conjunctis inter se, ego quidem non dubito, quin Josephus quum Romanis resisti non posse intellexisset, suae unius saluti prospiciens consulto ac fraudulenter rem ita constituerit, ut Jotapata in manus eorum veniret ipseque se saltem servaret. Aut enim vates fuit, verus dei interpret et sagax divino ore futura pandere, aut callide ita rem composuerat, ut die quadagesimo septimo constituto hostes urbe potirentur. Quorum utrum verum sit, non facile quemquam putem dubitaturum. Non igitur ei credemus affirmanti, „saepe se optasse potius emori quam patria prodita et belli sibi commissi administratione „dedecorata apud illos feliciter vitam degere, quibuscum pugnatum missus fuisset“.

Neque captivitas omni fraudis suspicione caret. Etenim postquam urbs capta et crudelissime saevitum est contra Judaeos, quorum per obsidionem ad quadraginta millia interemtos

dicit (de b. j. III, 7 §. 36), in profundam montis speluncam sive cisternam (εἰς βαθὺν λάκκον ib. cap. 8 §. 1) se abdidit, ubi quadraginta viros latitantes forte offendit, et fuga incassum noctu tentata per custodes ad se unum quaerendum undique positos, biduum ibi moratus, tandem mulieris, quae cum illis fuerat, indicio tertio die nescio quo modo inventus est. Quae mulier antea non memorata, tamquam deus ex machina subito comparet nec qua ratione in manus hostium ceciderit, declaratur. Tum vero sibi metuens, quia tantis malis, ut ipse ait, Romanos affecisset, missis nonnullis tribunis militum, inter quos Nicanor notus Josepho et olim familiaris, libenter, fide data, Vespasiano se traditurus fuisset, nisi Judaei socii calamitatis asperis verbis monuissent, quam multis, ut pro libertate morerentur, non diu ante nec frustra persuasisset; neque veram olim animi fortitudinem prae se tulisse et nunc, suorum praeceptorum oblitum, servitute pro mercede accepta, lucem et vitam aspicere pro patria prodita sustinere (ib. §. 4). Simul gladios ei intentare, illumque se interfecturos minitari, si Romanis se dederet. Frustra philosophari incipit longa et docta oratione (§. 5) impietatem in Deum esse se ipsum occidere probaturus, donec quasi divino afflatu, numinis tutelae se committens, (§§. 3. 7), sortes conijcere proponit, ut cui prima obvenisset, is proximo cuique sua sponte jugulum praeberet, ipseque operam dans, ut sorte non condemnaretur, „sive forte sive dei providentia factum est“, cum uno postremum relictus, facile huic quidem vitam ne prodigerent, sed Romanis se traderent persuadet.

Atque haec hactenus. Illum vero, licet a nullo adhuc id de Josepho observatum invenerim, ego quidem existimo suis testimoniis suaeque narratione fraudis culpaque esse convictum nec a gravissimo crimine proditoris erga patriam prorsus absolvi posse: quid? si Justi ceterorumque Josephi inimicorum scripta haberemus? si, quantum ad priora tempora attinet, Nicolai Damasceni 124 libros integros? quid? si Vespasiani commentarios? Sed effecisse me puto talem virum, tam subdolae astutiae et calliditatis, qualem se in agendo ostendit, ea vitae fortunaeque conditione, quali usus est, veritatem, ubicumque aliquid gravius de se vel de suo populo enarret, dicere nec potuisse nec voluisse semperque dicta ac facta ejus subsequi ex proximo suspicionem ac dubitationem. fidem procul retineri necesse esse.

Jam vero ad alterum hujus disputationis caput accedo, quod est de ingenio Josephi atque eruditione et de opinionibus religionis; in quo ratio disputandi ea erit ut spectemus, quantum hoc loco fieri potest, utrum mentem habuerit obeaectam superstitione ac praepjudiciis, an veritatem perspicere et dicere pro humani animi infirmitate potuerit.

Quum seriore tempore inde a rege Herode Judaei coepissent terminos a Mose inter se alienasque gentes severe positos aliquantum transgredi et peregrinarum artium ac literarum apud Graecos Romanosque florentium venustatem et elegantiam animo percipere, tantum tamen aberat, ut ea studia propenso favore et ardore amplecterentur, ut semper praeter eos, qui in Aegyptum transmigraverant, totam illam doctrinam et linguas alienigenas aspernarentur et tamquam prisca avorum institutis contrarias fastidirent. Id quod Josephi exemplo ab omni parte optime confirmatur, quo neminem fere alium inter Ebraeos neque ante neque posthac cum majore et perseverantia et successu Graeca coluisse scimus; neque ipse fallitur, quum alterum quemquam, neque Judaeum neque alienigenam suo tempore, etiamsi voluisset, hoc antiquitatum opus, magnum sane et arduum, adeo accurate Graecis enunciare potuisset confidenter negavit (Antiquit.

XX. cap. 11, §. 2). Etenim Hierosolymis natus, longa serie a sacerdotum stirpe oriundus, materno genere ab ipsis regibus indigenis Maccabaeis deducto (vita §. 1), jam puer, sicuti nunc etiam mos est apud Ebraeos antiquae prosapiae, ita incubuit studiis, id est, sacrorum librorum et sensui et verbis ediscendis et explicandis, ut et pontifices primoresque urbis ad eum ventitarent, accuratius de legibus seiscitaturi (vita §. 2) et populares cum omnes plurimum in disciplina patria praestitisse uno consensu confiterentur (antiq. XX, 11 §. 2). Neque contentus hac legis scientia „quam qui consecutus est, solus apud Judaeos sapiens habebatur“ (l. c.), etiam trium sectarum notissimarum, Pharisaeorum, Essenorum, Sadducaeorum, placita perscrutatus, tres annos in contubernio anachoretæ cujusdam, Banuni, exegit ejusque disciplinam atque institutionem cupide sectatus est (vita §. 2). At Graecis Romanisque litteris jam tum operam navasse negaverim, quoniam serius grammaticæ elementa se didicisse ait et harum etiam artium compotem fieri studuisse, verum accuratam pronunciandi rationem assequi non amplius potuisse (Ant. XX, 11 §. 2). Quæ quidem et græca librorum ipsorum elocutione et compositione omnino confirmantur; neque minus se ad bene politeque scribendum nonnullorum familiarium auxilium adhibuisse ipsemet confitetur (contra Apion. I, §. 9). Neque tamen id ita intelligi velim, quasi græcæ ac fortasse etiam latinae linguae peritiam et usum, qui quidem ad vitæ quotidianæ consuetudinem sufficeret, adolescens nondum habuerit, quum et illius ævi homines græco ore loqui tota Asia universi consuessent et ipse Josephus tum antea Romanorum multorum familiaritate uteretur, tum triginta tres annos natus (de b. j. IV. 2 §. 3) in obsidione urbis inter Titum et populares sæpe interpretis munereungeretur (De bel. jud. V. 9 §. 3, 13 §. 8, VI, 2 §. 1.). Nonnihil etiam profecit in hac arte itineribus per terras hominum græce loquentium frequenter institutis. Romæ et fuisse semel viginti sex annos natum jam supra memoravimus et provecus ætate plurimam vitæ partem commorabatur (contra Ap. I, 9). Alexandriae natam duxit uxorem (de vita §. 76), neque minus cum opinor Cretam, Athenas, Argosque perlustrasse totamque fere Græciam peragrasse. Nam ubi Caesaream magnificentissime ab Herode exstructam describit (antiquitt. XV. 9 §. 6; de bello jud. I., 21 §. 5), portum hujus urbis cum Piræeo comparatum magnitudine superare dicit; statuam vero Augusti in templo Caesareæ positam, prægrandem, non minorem fuisse Jove Olympio, cujus ad exemplar facta sit, et effigiem deæ Romæ tutelaris simulacro Junonis, quod Argis colatur, parem (ib. §. 7).

Sed tali græcarum literarum et artium studio multum abfuit, ut aut apud Judaeos gratiam et benevolentiam nancisceretur, aut, sua ipsius natura atque indole immutata, disciplinam de teneris unguibus quasi receptam abjiceret. Ac prius illud breviter transire possumus, quoniam et re ipsa et tota populi historia comprobatur et scriptoris testimonio confirmatur. Nullo enim in honore esse ait apud Ebraeos, qui peregrinorum populorum linguis loqui didicerint et in sermone dictionis elegantiam venentur (antiquitt. XX. 11 sub finem). Alexandrinis quidem Judæis, qui jam inde ab Alexandri M. tempore eo transmigrare coeperant, vice cotis fungebatur, ut poeta loquitur, acutissimæ græcarum literarum cognitio sermonisque consuetudo; ita ut ad hos ex peregrinis institutis multæ redundarent innovationes ad interpretandam legem Mosaicam, et avitæ linguae usum fere obliviscerentur. Igitur hi quidem inauditam antea audaciam in libris sacris explicandis, quasi inviti et quamvis essent patriæ fidei tenacissimi, ad se traduxerunt, accedente et quasi obruente Platonica philosophia, quam quum haudquaquam ubique cum legis placitis convenire intellexissent, ita sensim arripere allegoriarum consuetudinem, ut sensum non verbis tenus exciperent, sed alterum occultiore quendam et divinatione tantum percipiendum

inesse opinarentur. Ac novam hanc interpretandi rationem quamvis Josepho et ipsi non prorsus incognitam fuisse jam dudum recte monuerint viri docti, Gfrörer et Daehne (Philo et origines christianismi), cautius tamen adhibuit ac nonnisi passim rara hujus immutationis vestigia deprehendes. Fidelissimus priscæ religionis cultor, placita ac doctrinam vivendique praecepta omnia, quae quasi cum lacte nutricis imbiberat, per totam aetatem ita tenuit, ut, Romam profectus ad sacerdotes quosdam ex captivitate liberandos, hac maxime causa motum se fuisse dicat, quod illos audivisset etiam in malis pietatem in deum semper ante oculos habuisse, fidei tantum ac nucibus vitam sustentasse, (Vita §. 3) cibus inter gentiles comparatis lautioribus secundum legis jussa religiosissime abstinuisse. In hoc uno tantum peregrinarum institutionum tactu et communione commutatus est animo, quod suae religionis placita veritatemque, de qua antea nunquam neque genti neque sibi fuit dubitatum vel certatum, jam acriter defendere et argumentis extrinsecus petitis stabilire scriptis conabatur. Fides enim sibi constans, donec externo impetu nulla ex parte impugnata est et concussa, tamquam in tranquillo mari ac nullis agitato procellis placide defertur et prope cum fastidio vi artis et gubernaculi auxilio uti supervacaneum habere solet. At isti halcyonei dies jam dudum genti Ebraeorum evanuerant, maxime inde a Christi adventu, qui se non pacem, sed ferrum adtulisse dixerat.

Suo igitur jure Josephus maximis laudibus effert Mosen certissimoque discrimine a ceteris legislatoribus discernit, et illum quidem ait totam legislationem in doctrina de deo fulcire, ut homines dei naturam animo (τῷ νῷ) contemplantes optimum omnium exemplar sequi studeant; hos vero a pactis et conventis et mutuo circa haec jure profectos esse (Antiquitt. prooem §. 4); quibus verbis dubitari non potest quin illos graecarum civitatum fundatores respiciat, Lycurgum, Solonem, Charondam, Zaleucum, maximeque omnium fortasse Romanorum juris consultos. Legum autem, quas sanxit Moses, constitutionem non ipsi sed supremo numini tamquam praesenti et adsistenti attribuit (τὴν πολιτείαν ἡμῶν ὁ καταστησάμενός ἐστι Θεὸς διὰ Μωϋσέως ib. III, cap. 15 §. 3) et hanc ob causam tum leges tum virum ipsum majoris quam humanae auctoritatis esse censet. Formam igitur illam et administrationem civitatis, quae theocratica dicitur („liceat enim, ut ipse ibidem ait, hac voce tametsi paullo duriore uti“) in Ebraeorum republica plane agnoscit (contra Apion. II, 16). Neque minus etiam fabularum vanitatem „qualis apud alios est“ severe taxat (Ant. prooem. §. 3), quod vituperium, quamquam Graecorum Romanorumque mythologiam (ἀσχημονα μυθολογίαν) disertis verbis nominare veretur, quis est qui dubitet quin ad voluptates libidinesque deorum a poetis decantatas et vulgo creditas referendum sit? Mosen vero narrationem de deo puram a talibus conservasse et virtuti ejus convenientes semper operationes assignasse ait, quum impune posset pro longitudine temporis rerumque vetustate quaelibet confingere mendacia (ib). Voltarium quidem, qua est in judicando sacras res levitate et perfidia, vix necessarium existimo refutare, dicentem, (Essai sur les mœurs I, 118), Josephum legislatorem Mosen cum Minoe Cretensi ad Apollinem leges suas referente comparasse, quod verum est (contra Apion. II, 16), neutri vero eorum fidem habuisse, quod nemo facile erit crediturus. Imo traditur multis in locis Moses in Dei ipsius societatem communionemque venisse, ut in Archaeol. III. cap. 6 §. 5, ubi Cherubim figuras, quales nemo mortalium umquam in vivis conspexisset, Moses ipse se in Dei solio expressas vidisse ait. Quae vel bibliorum sacrorum auctoritatem transgrediuntur, in quibus (Exod 37, vv. 7—9) nihil nisi descriptionem illorum animantium invenies. Eodem modo (antiquitt. III, 8, 1) fratri Aroni sacerdotium confert Deo coram apparente (ἐπιστάς ὁ Θεὸς Μωϋσῇ) et jubente. Neque minus ratum est et constans Josepho, libros qui sub Mosi

nomine feruntur, ab ipso solo esse compositos et conscriptos, quorum auctoritatem in universum secutus, se excusat (ib. IV. cap. 8 §. 4), quod seriem et ordinem enarrationis nonnumquam in singulis deseruerit; ab illo enim relicta esse sparsim (σποράδην) scripta et ut quidque a Deo seiscitatus esset (ὡς ἔλατόν τι παρὰ τοῦ Θεοῦ νόμοιο). Atque adeo multis post saeculis Herodis aetate Judam et Matthiam pharisaeos, aquila aurea super portam templi dedicata exacerbatos, quum juventutem ad sacrilegium e medio tollendum incitassent, excusandi causa coram rege inducit dicentes, vel vita potiores ipsis esse leges a Mose traditas et scriptas Deo docente et suggerente (ὁπαγορεύσει καὶ διδάσκει τοῦ Θεοῦ Antiqq. XVII, 6 §. 3). Quum vero Josepho, quamvis fidelissimo priscæ religionis assectatori et avitæ doctrinae tenacissimo, non posset non manifestum esse, in ejus libris permulta inveniri, quæ ad posterius tempus solum pertinerent et res longe serius gestas antecaperent, ne sic quidem a recepta semel sententia recessit vel fidem Mosis habitam derogavit. Nam ubi obitum summi viri in scriptura sacra ab eo ipso mirifice proditum enarrat, coram discipulis, nube coelitus demissa, eum conspici desiisse refert, in vallem quandam abreptum; in sacris autem libris scriptum reliquisse se mortuum esse, ne Judæi dicere auderent eum propter virtutis magnitudinem ad Deum discessisse (Antiquitt. IV, 8 §. 48). Atque ita divina mente et futuri provida hunc virum praeditum existimavit, ut, quum in monte Sinai Judæis per-deserti solitudines errantibus permulta mandaret de agris septimo quoque anno quiete recreandis, de jobelo seu anno libertatis et reliqua, quæ post Judæam tantum occupatam multo serius efficacitatem habitura essent, eum hæc omnia a Deo didicisse (ἐπέμαθε παρὰ τοῦ Θεοῦ) et venientia tempora certissima vaticinatione praespexisse dicat (ibid. III, 12 §. 3). Tales autem rerum obscuriorum explicationes et frustra in libris sacris quaeruntur neque a Josepho inventae vel excogitatae sunt: in scholis Rabinorum ejus aetatis tradebantur sine dubio, quippe qui vel minutissimas veteris testamenti quaestiunculas perserutarentur, enuclearent, quovis modo explicare conarentur: ejus rei certissima vestigia quum in libris talmudicis reperiantur, qui licet longo serius litteris fuerint mandati, fontem tamen primum et originem jam diu ante habent (Gfrörer, origines Christianismi III, 49), tum in Josepho multis in locis sine ulla controversia ex mea quidem opinione manifesto apparent. In hoc enim uno tota Judæorum eruditio et doctrina usque ad interitum reipublicae posita erat; in hoc uno omnis opera et industria locabatur; in hac arte omnes ingenii facultates exercebantur et acuebantur: sed non raro etiam factum est, ut, nimiam solertiam ad nugas vel ad res minutissimas adhibendo, operam et oleum, sicuti in proverbio est, perderent et innumerabiles illas fabulas insulas ac paene deliras in medium ferrent, quibus cuncti eorum libri abundant (Jost, hist. Jud. II, append. p. 86. 96. 101. 109).

Atque hoc ex fonte Josephum hausisse sine ulla haesitatione dixerim miram illam ac multos offendentem rerum sacrarum explicationem et amplificationem. Qui quamvis summa observantia ac religione librorum populi sui sanctitatem veneraretur, nihilo tamen minus praeceptorum et commentariorum, quæ a rabbinis tradita puer receperat, vim et efficacitatem in scribendo ubique prae se fert eorumque potissimum auctoritatem plus aequo saepissime secutus est. Quodsi animadvertimus, vel hodie Judæos talmudica praecepta non minore in honore habere neque minus accurate observare quam veteris testamenti leges, profecto nihil miremur, quod tantum illis tribuerit Josephus. Tum enim jam dudum et in scholis et in vitae quotidianae consuetudine libri sacri in unum quasi corpus coaluerant cum placitis et commentis rabbinorum, ut non semper facile videretur dijudicatu, quo quidque proprie pertineret, et interdum vel inscium et ignorantem scriptorem nostrum utrosque fontes permutasse et permiscuisse crediderim. Inde igitur derivanda in-

digna saepe ac reprehendenda de Dei natura opinio. plurimum illa a nativa simplicitate veteris testamenti abhorrens, inde superstitiosa de daemonibus commenta, inde mirifica ista ac paene turpis a librorum sacrorum auctoritate in enarrando aberratio; inde denique singularis ac prope ridicula multarum rerum explicatio. Jam igitur apparebit, Josephi cultum ingenii et eruditionem non simplicem esse, non sibi constantem, non in uno tanquam fundamento constitutam, sed ex tribus quasi partibus atque elementis conflatum: lege mosaica, graecis literis, scholarum ac sectarum sui temporis rabbinicarum traditionibus. Quae ubique discernere et persequi res est multae operae nec minoris doctrinae. Sed quum haec latissime pateant, nonnulla tamen liceat hoc loco exempli instar breviter in medium proferre.

Quatuor flumina paradisi, suis nominibus designata, Euphraten, Tigrin, Gangen et Nilum esse sine ulla dubitatione affirmat (antiquitt. I, 1 §. 3), addens insuper: καὶ Φεῖτων μὲν ἐπὶ τὴν Ἰνδοῦ ἡν ὑπερβόμενος ἐκβάλλουσιν εἰς τὸ πέλαγος, ὅς ἐστιν Ἑλλήνων Ἰάγγης λεγόμενος, tamquam si haec ex fonte suo hauserit. Sed Graecis scripsit, jam ab initio probaturus, quam antiqua sit popularium suorum scientia et sapientia. Nec dubito, quin talia in scholis Judaicis illo aevo tradita fuerint.

Cujus Ebraeorum doctrinae atque interpretationis largissimum habes exemplum in antiquitt. libro primo (cap. 6). Siquidem ex septem Noae nepotibus omnes orbis terrarum populos ortos ait; nomina a Graecis propter sermonis decorem immutata, facile tamen agnoscere; itaque Jones omnesque Graecos ex Jovano natos; ex Made Medos; ex Masoehe eos, qui nunc quidem Cappadoces nominantur; sed antiquae appellationis indicio Masaca urbem principalem habere; ad Thiran originem referre Thracas; Chetimum occupasse insulam Chetimam id est Cretam; in qua oppidum esse Citium, nomine paullulum immutato, sed non nimis a χεῖμα discrepante; Tharsum ortum et nomen dedisse Tharsensibus id est Cilicibus¹⁾; argumento esse metropolin eorum Tarsum. Sed piget ejus generis nugae plures transcribere, quibus ne sic quidem defuere imitatores!

In Antiquitt. III, 6 §. 4 dicit, tabernaculi a Mose erecti dimensiones rerum universitatem referre; tertiam enim partem, quo nec sacerdotibus fas accedere, esse veluti coelum Deo sepositum; reliquum spatium, tamquam terram et mare, ad quae hominibus datum sit accessus, solis sacerdotibus concedi; neque minus (ib. §. 6) candelabrum tabernaculi in septem exire capita, aequis intervallis disposita, planetarum numerum referentia. Habes in his sine dubio magistrorum Judaeorum interpretationem; cujus in libris sacris ne vestigium quidem.

Abrahamus traditur in genesi XIII, 4 „nomen domini in terra Canaan praedicasse.“ Josephus vero (ant. I, c. 7 §. 1 sqq.) hunc arte ac ratione philosophum facit, disputantem de natura rerum cum incolis Mesopotamiae et sacerdotibus Chaldaeis; eodemque modo, quum Aegyptum versus se contulit, penuria victus (ib. 8 §. 1), dicitur eo profectus esse auditurus sacerdotes Aegyptiacos, quid docerent de Deo; disseritque cum iis, docet astrorum et numerorum cognitionem (ἀστρονομίαν καὶ γεωμετρικὴν), disputationesque instituit, quibus semper victor egreditur. Cave autem id fraudem Josephi putes vel inventionem: quippe creditum his temporibus. Ad tantam credulitatem tamque pravum sacrae scripturae usum a simplicitate ac veritate priscorum hominum degeneraverat Josephi aetas.

1) Josephus addit (ib. §. 1) in vocabulo Tarsus Theta nescio quomodo ad nomen variandum a Cilicibus conversum in Tau. Quod in tanta testimoniorum paucitate, quae exstant de genuina graecarum literarum pronuntiatione ideo adnotatu non prorsus indignum visum est, quoniam inde efficitur, etiam Josephi aetate has literas vulgo fuisse in sermone distinctas.

Seth, filius Adami, ejusque progenies, vaticinio patris de interitu mundi comperto, omnem scientiam rerum divinarum ac humanarum, *cujus* maxime compotes fuerunt, propagasse traditur (ant. I, 2 §. 3) venturo generi, duas columnas struxisse, alteram latericiam, ex pretioso lapide alteram ibique doctrinam suam inscripsisse; neque has interisse, sed videri adhuc in terra Serica. Cujus fabulae fundamentum esse puto in Genesi IV, 26 „Et eodem (Sethi) tempore „praedicari coeptum est Domini nomen“. Ex tam tenui principio turgida illa et magnifica narratio exorta est et enutrita pruritu hominum inaudita quaerentium! Sed scimus jam apostolorum aetate inter primas christianae ecclesiae haereses fuisse Sethianorum sectam, qui sacro libro utebantur παραφράσει τοῦ Σήθ, Gnosticis adnumerandam (Bunsen, Hippolyt. I, 31); et omni tempore ejus modi miracula et somnia de praeadamitis, protoplastis et antediluvianis hominibus asseclas et fautores invenerunt. Quid? summus philosophus patrum nostrorum memoria, diligentissimus naturae secretorum perscrutator, nonne opinatus est, priscos homines scientiam de Deo rebusque divinis, quas ceterum mortalium vulgus ignorare non pudet, neque minus doctrinam omnem, quae hodie nonnisi labore indefesso comparatur, jam possedisse et ex coelestium numinum commercio et communione pleno haustu imbibisse? Ego quidem fateor, me libentius assentiri eminentissimo hujus aetatis Britannorum scriptori (versionis germ., quae Bülaui nomine circumfertur, vol. IV, 27) dicenti, non multum discriminis intercedere, si divinarum rerum scientiam spectes, inter Aristotelis sagacitatem et infantis imbecillitatem vel inculti hominis immanitatem. Fieri fortasse potest, ut homines nati constituamus seu potius conjiciamus, de supremo numine quid non dicere deceat: sed qualis sit Deus vel quam habeat naturam et efficacitatem subtiliter disserere, quis est qui sincero pectore audeat? Josephus vero ejus modi culpae se obnoxium fuisse prava superstitione aut fastu sacerdotali abductus plus semel liquide ostendit ac Deum facit agentem hominis more humanisque affectibus agitatam. Sic Imperatoris Claudii tempore Adiabenorum regulus, Izates favens ritibus Judaeorum penitus tandem hac religione imbui decessit (Antiquitt. XX, 2 §. 5); sed circumcisionem timenti satisfieri posse Deo negatur; sine ea nihil omnino actum esse; tum demum Deum Izaten ab hostium impetu liberaturum, tum demum saluti ejus consulturum. — Neque longe abest, quod non veretur affirmare, Deum levissimas propter causas iratum fuisse Saulo prioremque favorem subito detraxisse, ita ut pateretur spiritus maleficos (δαίμονα) regi suffocationes ac strangulationes creare (ib. IV. c. 8 §. 2). Quorum similia permulta afferri possunt. Quin imo, prodit Josephus (ib. VIII, 2 §. 5) se vidisse, coram Vespasiano et filiis et nonnullis tribunis, Eleazarum quendam ex popularibus suis daemoniaco alicui medentem naribus ejus admoto annulo, in quo radix esset inclusa, *cujus* virtutem docuisset rex Salomon, itaque ex naso extractum spiritum maleficum; deinde vero, quo artem suam vere Circeam manifestiorem redderet, Eleazarum, non procul collocato poculo ponderoso aqua pleno, clara voce imperasse daemoni. statim ut ex obsessio egressus, vas illud everteret, quo evidentius esset liberatum esse hominem; quibus factis, Salomonis scientiam et sapientiam etiam Romanis perspicuam fuisse. Illi enim incantationi haudquaquam defuerat Salomonis nomen in solenni carmine invocatum. Scimus quidem aliunde, Vespasianum, ejusmodi praestigiis delectatum, et ipsum Alexandriae caecos et claudicantes opem ejus implorantes oris excrementis sanasse (Tacit. hist. IV, 81. Sueton. Vesp. 7. Dio 66, 5): sed ita ad magicas artes exercendas temere vocatus, risum primo non tenuisse bene a Tacito dicitur; tum medicos interrogasse; eos vero, ut fit quandoque, ambigue et varie respondisse; ut illum jocose potius quam superstitiose egisse recte dixeris. — Sed quid? nonne discrimen esse debebat inter Jovis Capitolini sacricolam et unius Dei omnipotentis veneratorem?

Jahresbericht.

I. Schulchronik.

Wenige Tage, nachdem das jetzt ablaufende Schuljahr am 9. October 1856 in gewohnter Weise eröffnet war, versammelte der Geburtstag Sr. Majestät des Königs Lehrer und Schüler des Friedrichs-Collegiums zu einer Feier seltener Art. Das herrliche Bild König Friedrichs des Ersten, durch dessen huldreiche Verleihung Se. Majestät die nach diesem ihrem Ahnherrn benannte Anstalt ausgezeichnet hatte, verbreitete zum ersten Male seinen Glanz über den lichten und würdigen Raum unserer Aula; jetzt galt es, die Jugend auf den hohen Werth und Sinn dieser Königsgabe hinzuweisen. Es war dem Director eine theure Pflicht, die Mahnungen zu deuten, welche das Bild im Geiste des hohen Gebers an die Versammelten richtete, und im Einzelnen nachzuweisen, wie jener viel verkannte Herrscher in einem Leben voll Schmerzen und Enttäuschungen als Mensch und König mit unerschütterlicher Treue an den drei christlichen Tugenden, dem Glauben, der Liebe und der Hoffnung, festgehalten und in ihnen Trost und Kraft gefunden hat, uns allen zum segensreichen Vorbilde. Möge nie in unserm Kreise das Königsbild als ein nur äusserlicher Schmuck betrachtet, nie das Folget mir nach! überhört werden, welches uns aus ihm entgegentönt.

Seit jenem festlichen Tage ist uns Monat auf Monat in derjenigen stillen Gleichmässigkeit des Wirkens verstrichen, die zu einzelnen Mittheilungen keinen Anlass bietet, aber der inneren Fortentwicklung einer Schule sich um so förderlicher erweist. Im Juni und August d. J. wurden wir durch wiederholte Besuche des Königl. Provinzial-Schulraths Herrn Dr. Schrader erfreut, der dem Unterrichte in allen Klassen beiwohnte und überhaupt von den Verhältnissen der Anstalt in eingehender Weise Kenntniss nahm.

In das Lehrercollegium sind neue Mitglieder nicht eingetreten. Herrn Lic. Dr. Simson ward die bisher interimistisch von ihm verwaltete ordentliche Lehrerstelle definitiv übertragen. Durch des Herrn Ministers von Raumer Excellenz sind auch in diesem Schuljahre mehreren Lehrern ausserordentliche Remuncrationen bewilligt worden, deren Gesammbetrag von 300 Thln. bei der erhöhten Frequenz der Anstalt auf die verfügbaren Mittel derselben angewiesen ward.

2. Lectionsplan 1856/57.

P r i m a.

Ordinarius: der Director. — Zweijähriger Cursus.

Latein. — Horatius: im W. carm. I. II und IV, im S. carm. I. I. 2 St. — Cicero: die Tusculanen. 3 St. — Stilistische Uebungen: Extemporalien und Aufsätze (4 im Halbjahr). 3 St. — Zus. 8 St. — Der Director.

Griechisch. — Im W. Demosthenes: Olynthiac. I—III, Philipp. IV und c. Philippi epistolam, im S. Plato: Charmides und Euthyphro. 3 St. — Sophocles: im W. Oedipus Col., im S. Oedipus Rex (mit der ersten Abtheilung). 2 St. — Schriftliche Uebersetzungen aus dem Griechischen und in das Griechische, Wiederholung der Grammatik. 1 St. — Zus. 6 St. — Professor Dr. Hagen. — Mit der zweiten Abtheilung: Ausgewählte Abschnitte der Ilias von B. XII ab 2 St. — Oberlehrer Dr. Lewitz.

Deutsch. 3 St. — Literaturgeschichte von den Anfängen bis auf Opitz (Schäfers Grundr.

§. 1—92). Besprechungen und Vorträge über gelesene Proben. — Aufsätze (monatlich). — Oberlehrer Dr. Lewitz.

Französisch. 2 St. — Syntax nach Orelli. Exercitien (14tägig) und Probearbeiten in der Klasse. — Lecture: Wecker leçons S. 140—174, dann Corneille's Cid. — Oberl. Dr. Lewitz.

Hebräisch. 2 St. — Wiederholung der Etymologie, Syntax. — Die Psalmen. — Dr. Simson.

Religion. 2 St. — Lecture und Erklärung des Römerbriefes nach dem Grundtext. Im Anschluss daran systematische Uebersicht über die gesammte evangelische Glaubenslehre. — Div.-Pred. Hintz.

Geschichte und Geographie. 3 St. — Wiederholung sämtlicher Theile der Geschichte nebst gelegentlichen Ergänzungen und Erweiterungen. — Wiederholung der gesammten Geographie nebst Einzelem aus der Statistik des preuss. Staats und des deutschen Bundes. — Professor Dr. Merleker.

Mathematik. 4 St. — Trigonometrie. Quadratische Gleichungen mit mehreren Unbekannten. Kettenbrüche. Diophantische Aufgaben. Binomischer Lehrsatz. Die Exponential- und logarithmische Reihe. — Dr. Hoffmann.

Physik. 2 St. — Farbiges und polarisirtes Licht. Mechanik: Parallelogramm der Kräfte; die einfachen Maschinen; Schwerpunkt; Stoss fester Körper. — Dr. Hoffmann.

S e c u n d a.

Ordinarius: Prof. Dr. Hagen. — Zweijähriger Cursus.

Latin. — Wiederholung der Syntax, Anfänge der Stilistik. Exercitien (wöchentlich); erste Versuche im freien Gebrauch der Sprache. — 3 St. — Cicero: im W. de amicitia, im S. pro Archia p. und de imperio Cn. Pompeji. 3 St. — 6 St. Der Director. — Livius I. III und IV. 2 St. — Virgil. Aen. I. IV und V. 2 St. — 4 St. Oberl. Dr. Lewitz.

Griechisch. — Syntax nach Krüger; Exercitien. 2 St. — Homeri Odys. VII—XII. 2 St. — Xenoph. Hellen. V, 2—VI, 4. 2 St. — Zus. 6 St. — Prof. Dr. Hagen.

Deutsch. 2 St. — Einführung in die Literaturgeschichte der neueren Zeit mit Benutzung von Gödeke's Elf Büchern deutscher Dichtung. — Aufsätze (monatlich). Uebungen im Deklamiren und freien Vortrage. — Dr. Simson.

Französisch. 2 St. — Grammatik nach Plötz. Curs. 2. Exercitien (14tägig). — Leloup's Lesebuch S. 109—238. — Dr. Simson.

Hebräisch. 2 St. — Etymologie und Hauptregeln der Syntax. — Die Bücher Samuelis I, 20 ff. und II Jos. c. 1—12. — Dr. Simson.

Religion. 2 St. — Geschichte der christlichen Kirche bis zur Reformation. — Div.-Pred. Hintz.

Geschichte und Geographie. 3 St. — Alte Geschichte der drei Erdtheile (Leitfaden des Lehrers). — Geschichte der Geographie; mathemat. und physikal. Geographie (v. Seydlitz Leitf. S. 23—48). Wiederholungen aus der ganzen Geographie. — Prof. Dr. Merleker.

Mathematik. 4 St. — Gleichungen des ersten Grades mit mehreren Unbekannten. Wurzelgrößen und gebrochene Potenzen. Logarithmen. Geometrische Progressionen. — Harmonische Theilung. Aehnlichkeit der Figuren. Proportionen beim Kreise. — Dr. Hoffmann.

Physik. 1 St. — Die Lehre vom Luftdruck und der Wärme. — Dr. Hoffmann.

T e r t i a.

Ordinarius: Dr. Zander. — Zweijähriger Cursus.

Latin. — Wiederholung der Etymologie, Syntax; wöchentliche Exercitien, daneben Probearbeiten in der Klasse. 4 St. — Caesar B. G. I. I. 4 St. — Ovid. Metam. I. III mit Auswahl, daneben Prosodie. 2 St. — Zus. 10 St. — Dr. Müller.

Griechisch. — Etymologie und Hauptregeln der Syntax (Krüger), wöchentliche Exercitien und Probearbeiten in der Klasse. 3 St. — Xenoph. Anab. II. 3 St. — Zus. 6 St. — Dr. Zander.

Deutsch. 2 St. — Aufsätze (monatlich); Besprechung gelesener Musterstücke. Uebungen im Deklamiren. — Prof. Dr. Zaddach.

Französisch. 2 St. — Etymologie und die unentbehrlichsten Regeln der Syntax nach Plötz Curs. 1; im 2. Halbj. kleine Extemporalien — Florian Numa Pomp. — Oberl. Dr. Lewitz.

Religion. 2 St. — Erklärung des zweiten und dritten Hauptstücks. Entsprechende Bibelstellen und Lieder wurden gelernt. — Div.-Pred. Hintz.

Geschichte und Geographie. 3 St. — Deutsche Geschichte bis zur Auflösung des Reichs, daneben brandenburgisch-preussische Geschichte. — Die aussereuropäischen Erdtheile (v. Seydl. S. 207—291). — Prof. Dr. Merleker.

Mathematik. 3 St. — Flächengleichheit. Lehre vom Kreise. — Potenzen. Wurzelziehung. Gleichungen des ersten Grades. — Dr. Hoffmann.

Naturkunde. 2 St. — Uebersicht der beschreib. Naturwissensch. — Prof. Dr. Zaddach.

Q u a r t a.

Ordinarius: Dr. Simson. — Einjähriger Cursus.

Latein. — Wiederholung und Erweiterung der Etymologie nebst den unentbehrlichsten Regeln der Syntax; wöchentliche Exercitien und Extemporalien. 5 St. — Jacobs Leseb. 2. Band I. D. E. F. G. H. J. und II S. 148—171 mit steter Berücksichtigung der Grammatik. 5 St. — Zus. 10 St. — Dr. Simson.

Griechisch. 6 St. — Formenlehre bis zu den Verb. anom. (Krüger); Jacobs Leseb. Curs. I. no. VIII. Curs. II A, VI und D, III. — Anfangs wurden alle Stunden auf die Grammatik gewandt, später 3 auf die Lectüre. — Prof. Dr. Hagen.

Deutsch. 2 St. — Aufsätze (monatlich) und Uebungen im Deklamiren. — Prof. Dr. Merleker.

Französisch. 2 St. — Grammatik und grammatische Uebungen wie in Tertia. — Oberl. Dr. Lewitz.

Religion. 2 St. — Erklärung des 1. Hauptstücks; entsprechende Bibelstellen und Lieder wurden erlernt. — Div.-Pred. Hintz.

Geschichte und Geographie 3 St. — Hauptmomente der alten Geschichte; Uebersicht der brandenburgisch-preussischen Geschichte. — Europa in physischer und historischer Beziehung, daneben ausgewählte Theile der Geographie anderer Erdtheile. — Prof. Dr. Merleker.

Mathematik und Rechnen. 3 St. — Congruenz und Parallellinien. — Buchstabenrechnung. Decimalbrüche. Gesellschaftsrechnung. — Dr. Hoffmann.

Zeichnen. 2 St. — Umrisse mit Bleistift und Kreide. Uebungen im Schattiren. — Kreutzberger.

Q u i n t a.

Ordinarius: Prof. Dr. Zaddach. — Einjähriger Cursus.

Latein. 10 St. — Formenlehre mit besonderer Berücksichtigung der Verb. anom. (Ellendt); Exercitien und Probearbeiten in der Klasse. — Memoriren von Vocabeln. — O. Schultz Auf. 1—20 mit Auswahl, Anhang 1 u. 2. — Gelesen wurden die entsprechenden Abschnitte in Gedike's Lesebuch. — Dr. Müller.

Deutsch. 2 St. — Uebungen im Wiedererzählen gelesener Stücke (Strauss Leseb. Th. 2) und im Deklamiren. Kleine Aufsätze. — Dr. Müller.

Französisch. 3 St. — Etymologie nach Plötz Curs. 1. — Prof. Dr. Zaddach.

Religion. 3 St. — Biblische Geschichte des N. T. nebst Erlernung von Kirchenliedern. Cursorische Lectüre mehrerer Bücher des A. T. — Div.-Pr. Hintz.

Geographie und Geschichte. 2 St. — Allgemeine Geographie und Uebersicht der Erdtheile: Geographie von Preussen. — Erzählungen aus der Geschichte des Alterthums, besonders der mythischen. — Prof. Dr. Zaddach.

Rechnen. 3 St. — Bruchrechnung mit unbenannten und benannten Zahlen: Anfangsgründe der Proportionsrechnung (Regel de tri). — Prof. Dr. Zaddach.

Naturkunde. 2 St. — Im W. Zoologie, im S. Botanik. — Prof. Dr. Zaddach.

Kalligraphie. 3 St. — Uebungen nach Vorschriften. — Kreutzberger.

Zeichnen. 2 St. — Fortsetzung der in Sexta begonnenen Uebungen. Umriss nach Vorlegeblättern; Versuche im Schattiren. — Kreutzberger.

S e x t a.

Ordinarius: Oberl. Ebel. — Einjähriger Cursus.

Latein. 10 St. — Formenlehre bis zu den Verb. anom. mit Einschluss der Praepositionen (Ellendt). Gedike's Leseb. I. Abschn. — O. Schultz Aufg. 1 — 8. — Dr. Zander.

Deutsch. 2 St. — Uebungen im Lesen (Magers Leseb. Th. I). Wiedererzählen, Deklamiren und in der Orthographie. — Dr. Zander.

Religion. 3 St. — Biblische Geschichte des A. T. — Katechetische Besprechung und Erlernung von Kirchenliedern. — Div.-Pr. Hintz.

Geographie und Geschichte. 2 St. — Elemente der mathematischen Geographie; physische Geographie von Europa. — Erzählungen aus der brandenburgisch-preussischen Geschichte. — Oberl. Ebel.

Rechnen. 4 St. — Die 4 Species mit unbenannten und benannten Zahlen. — Anfangsgründe der Bruchrechnung. — Oberl. Ebel.

Naturkunde. 2 St. — Im W. Mineralogie, im S. Botanik. Beides nach vorgezeigten Exemplaren. — Oberl. Ebel.

Kalligraphie. 3 St. — Uebungen nach amerikanischer Methode. — Kreutzberger.

Zeichnen. 2 St. — Die ersten Anfänge zur Uebung der Hand und des Auges; Umriss nach leichten Vorlegeblättern. — Kreutzberger.

Gesangunterricht.

III. Gesangklasse. — Quinta und Sexta. 2 St.

Die Durtonleiter. Notenkenntniss. Gehörübungen. Einstimmige Melodien, besonders Choräle. Erste Versuche im zweistimmigen Gesange.

II. Gesangklasse. — Die mittleren Klassen. — 2 St.

Die Molltonleiter. Gehörübungen und Solleggien. Uebungen im zwei- und dreistimmigen, erste Versuche im vierstimmigen Gesange. Uebungen im forte und piano.

II. b. 1 St. zur Uebung der mutirenden Stimmen.

I. Gesangklasse. — Die oberen Klassen nebst den hinlänglich befähigten Schülern der mittleren und unteren. — 3 St.

a) Sopran und Alt. 1 St. Vorübungen zu der Stunde für alle 4 Stimmen. Zwei- und dreistimmige Gesänge.

b) Tenor und Bass. 1 St. Vorübungen w. o. — Compositionen für 4 Männerstimmen, geistlich und weltlich.

c) Vierstimmiger Chor. 1 St. Choräle und grössere geistliche Compositionen a 4. — Zus. 8 St. Gesanglehrer Meissner.

Katholischer Religionsunterricht.

I. Cötus. — 2 St.

1. Fortsetzung der Sittenlehre: Die sieben letzten Gebote bis zu Ende. Die Glaubenslehre: Vom Dasein Gottes bis zur Lehre von der Kirche; — nach Ontrup.
2. Biblische Geschichte nach Kabath: Das A. T. von Moses Tod bis zu Ende.

II. Cötus. — 2 St.

1. Die Sittenlehre: Von den Pflichten, welche die Kirche und der Staat auferlegen. — Die Glaubenslehre bis zur Lehre von der Erbsünde; nach dem Lehrbuche von Eichhorn.
2. Geschichte der christlichen Kirche nach Siemers. Die drei ersten Perioden bis zum Schisma der griechischen Kirche.

Zus. 4 St. — Domherr und Probst Dr. Wunder.

3. Statistik.

Im September v. J. belief sich die Frequenz der Anstalt (S. 42 des vorjährl. Programms) auf 252. Dieselbe stieg im Winterhalbjahr 1856/57 auf 272, nach Ostern d. J. auf 284. Gegenwärtig, im September, wird die Anstalt von 281 Schülern besucht, unter denen sich 29 Primaner, 46 Secundaner, 54 Tertianer, 48 Quartaner, 56 Quintaner und 48 Sextaner befinden.

Zur Universität sind mit dem Zeugniß der Reife entlassen

Michaelis 1856:

- 1) **Gotthilf Eduard Alexander Backe**, geb. in Königsberg, 17 J. alt, evang. Confession, Sohn des hieselbst verst. Prof. ord. Dr. Backe, seit 8 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt Theologie auf hiesiger Universität.
- 2) **Ernst Eduard Hermann Backe**, geb. in Königsberg, 18 J. alt, evang. Conf., Sohn des hieselbst verst. Prof. ord. Dr. Backe, seit 10 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt Theologie und Philologie auf hiesiger Universität.
- 3) **Georg Robert Brausewetter**, geb. in Bendiesen bei Labiau, 20 $\frac{1}{2}$ J. alt, evang. Conf., Sohn des Gutsbesizers Brausewetter, seit 3 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt die Rechte auf hiesiger Universität.
- 4) **Ferdinand Friedrich Ludwig Clauss**, geb. in Tapiau, 20 $\frac{1}{2}$ J. alt, evang. Conf., Sohn des Rentanten Clauss, seit 7 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt die Rechte auf hiesiger Universität.
- 5) **Hermann Gustav Eichholz**, geb. in Galitten bei Heilsberg, 18 $\frac{1}{2}$ J. alt, evang. Conf., Sohn des Landschaftsraths Eichholz, seit 2 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt die Rechte auf hiesiger Universität.
- 6) **Johann Carl Oesterreich**, geb. in Königsberg, 20 J. alt, evang. Conf., Sohn des Königl. Consistorialraths und Hulpredigers Oesterreich hieselbst, seit 12 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt die Rechte in Berlin.
- 7) **Alfred Schultz**, geb. in Königsberg, 16 $\frac{3}{4}$ J. alt, evang. Conf., Sohn des Königl. Hofbuchdruckers Schultz hieselbst, seit 10 $\frac{1}{2}$ J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt die Rechte auf hiesiger Universität.
- 8) **Salomon Stein**, geb. in Wallendorf bei Neidenburg, 19 $\frac{1}{2}$ J. alt, mosaischer Religion, Sohn des Gastwirths Stein in Neidenburg, seit 5 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt Medicin auf hiesiger Universität.

- 9) **Gustav Friedrich Ferdinand Toussaint**, geb. in Stuthenen bei Wolitnik, 20 J. alt, reform. Conf., Sohn des Gutsbesitzers Toussaint, seit 10 J. Schüler der Anstalt. 2 J. in Prima; er studirt die Rechte in Berlin.

Ostern d. J.:

- 1) **Carl Ferdinand Leopold von Freyhold**, geb. in Bischofstein, 20 $\frac{3}{4}$ J. alt, evang. Conf., Sohn des verst. Gutsbesitzers von Freyhold, seit 1 $\frac{1}{2}$ J. Schüler der Anstalt, 1 $\frac{1}{2}$ J. in Prima; er studirt Theologie auf hiesiger Universität.
- 2) **Reinhold Wilhelm Buchholz**, geb. in Frankfurt a. O., 19 $\frac{1}{2}$ J. alt, evang. Conf., Sohn des verst. Pfarrers Buchholz in Juditten, seit 3 J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt Medicin in Berlin.
- 3) **Hermann Franz Joachim**, geb. in Königsberg, 21 J. alt, evang. Conf., Sohn des Schuhmachermeisters Joachim hieselbst, seit 10 $\frac{1}{2}$ J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt Philologie auf hiesiger Universität.
- 4) **Leopold Archibald Wilhelm Maier**, geb. in Friedland, 21 J. alt, evang. Conf., Sohn des Kreisphysikus Dr. Maier, seit 5 $\frac{1}{2}$ J. Schüler der Anstalt, 2 J. in Prima; er studirt Mathematik auf hiesiger Universität.

Die jetzt zur Universität abgehenden Primaner werden im nächsten Programm namhaft gemacht werden, da die Abiturientenprüfung erst in den letzten Tagen des Schuljahrs beendet wird.

Die Gesundheit unserer Schüler liess im Winterhalbjahr kaum irgend etwas zu wünschen übrig; im Sommer erkrankten nach und nach mehr als fünfzig an den stark grassirenden Masern, indessen nahm die Krankheit bei allen einen günstigen, bei der grossen Mehrzahl einen überaus leichten Verlauf. Dennoch sind wir zweimal durch den Tod lieber Zöglinge tief betrübt worden. Am 2. April d. J. starb der Secundaner Johannes Backe nach langen und schweren Leiden. Unter grossen Schmerzen hat er in gläubigem Gebete immer neue Geduld und Kraft gefunden, bis er mit vollem Bewusstsein seines nahen Endes in Frieden entschlief. Das Vorbild, welches er uns im Leiden und Sterben hinterlassen hat, wird unvergessen bleiben. Am 11. Juni erlag der Secundaner Carl Rosenbaum einem schnell entwickelten Brustleiden. Ihn hat der Tod unerwartet mitten in der Hoffnung auf baldige Genesung abgerufen; wie wir ihn aber in fünf Jahren kennen gelernt haben, glauben wir das Wort der Schrift auf ihn beziehen zu dürfen, welches das Schauen Gottes denen verheisst, die reines Herzens sind.

Armen Schülern wurden die üblichen Unterstützungen auch während des verflossenen Schuljahrs in reichem Maasse zu Theil.

4. Sammlungen.

Die verschiedenen Sammlungen der Anstalt sind durch Verwendung der etatsmässigen Mittel in gewohnter Weise vervollständigt und erweitert worden. Unter den zahlreichen Bücher-geschenken, durch welche des Herrn Ministers von Raumer Excellenz uns auch in diesem Jahre zu innigem Danke verpflichtet hat, hebe ich besonders eine grössere Reihe vorzugsweise historischer Werke hervor, die uns aus der hinterlassenen Bibliothek des Kanzlers des Königreichs Dr. von Wegnern überwiesen wurde. Es haben diese Bücher doppelten Werth für uns, weil sie uns stets von Neuem an den ehrwürdigen Greis erinnern werden, der das Friedrichs-Collegium einst durch vielfache Beweise seiner Theilnahme und seines Vertrauens geehrt hat.

5. Verfügungen des Königl. Provinzial-Schul-Collegiums.

- 1) 24. October pr.: Im Auftrage des Königl. Ministeriums der geistlichen etc. Angelegenheiten wird auf Bonnell's Vocabularium (Berlin. Enslin) als ein geeignetes Hilfsmittel beim lateinischen Unterricht aufmerksam gemacht.
- 2) 3. December pr.: Die Acten der Abiturientenprüfung sind von allen Gymnasien binnen 4 Wochen nach Beendigung des Examens einzusenden.
- 3) 17. Februar c.: Kiepert's Charten von Palästina (Berlin. D. Reimer) werden im Auftrage des Königl. Ministeriums empfohlen.
- 4) 27. Februar c.: Allgemeine Bestimmungen über Ausdehnung und zweckmässige Lage der Ferien.
- 5) 15. April c.: Bestimmungen und Rathschläge, die angemessene Einrichtung und Erweiterung der Schülerbibliotheken betreffend.
- 6) 12. Mai c.: Zuzufolge der Anordnung des Königl. Ministeriums soll sich der Geschichtsunterricht überall an einen gedruckten Leitfaden anschliessen und das Heftschriften gänzlich vermieden werden. Für die Geschichte wie für die Geographie sind in den verschiedenen Klassen eines Gymnasiums nur je zwei Lehrbücher in möglichst übereinstimmender Weise zu benutzen.
- 7) 18. Mai c.: Die ungünstigen Resultate, welche die letzten Abiturientenprüfungen auf mehreren Gymnasien der Provinz ergeben haben, veranlassen, allgemein die nöthige Strenge bei Versetzung der Schüler zu empfehlen.
- 8) 30. Mai c.: Da die Verhältnisse des höheren Justizdienstes neuen Bewerbern um Aemter keine Aussichten auf baldige Anstellung bieten, ist nicht vorzüglich begabten und mittellosen Schülern das Studium der Rechte dringend zu widerrathen.
- 9) 18. Juni c.: Franck's geistliche Melodien aus dem 17. Jahrhundert (Leipzig. Breitkopf & Härtel) werden empfohlen.
- 10) 28. Juli c.: Zur Vervollständigung der von drei zu drei Jahren einzureichenden Listen über die persönlichen und dienstlichen Verhältnisse der Directoren und Lehrer sind vorkommende Veränderungen am Schlusse jedes Jahres in vorgeschriebener Form besonders anzuzeigen.
- 11) 17. August c.: Allgemeine Bestimmungen über Beaufsichtigung der Schüler beim Stundenwechsel und während des Nachbleibens.
- 12) 7. September c.: Von dem jährlichen Programm sind dem Königl. Provinzial-Schulcollegium hinfort 203 Exemplare einzusenden.

6. Öffentliche Prüfung.

Die öffentliche Prüfung sämmtlicher Klassen wird Montag den 5. und Dienstag den 6. October in folgender Ordnung abgehalten werden:

Montag den 5. October,

Vormittags von 9 Uhr an:

Choral, gesungen von der ersten Gesangsklasse.

Sexta. Geographie. Oberlehrer Ebel. — Latein. Dr. Zander.

Declamation der Sextaner Axel Küster (der Truthahn von Hey) und James von Schlemmer (der Kater von Pfefferl).

Vierstimmiges Lied von Mendelssohn (1. Gesangsklasse).

Quinta. Religion. Div.-Pr. Hintz. — Rechnen. Prof. Dr. Zaddach. — Latein. Dr. Müller. Declamation der Quintaner Eugen Plew (blaue Veilchen von Förster) und Hermann Rosenbaum (der Ritt über den Bodensee von Schwab).

Vierstimmiges Lied von Oelschläger (I. Gesangklasse).

Quarta. Griechisch. Prof. Dr. Hagen. — Latein. Dr. Simson. Declamation der Quartaner Emil Stärck (Oben und Unten von Wagemann) und Gustav von Sandes (Johann Stauf).

Vierstimmiges Lied aus dem 16. Jahrhundert (I. Gesangklasse).

Nachmittags von 3 Uhr an:

Tertia. Französisch. Oberlehrer Dr. Lewitz. — Latein. Dr. Müller. — Griechisch. Dr. Zander.

Secunda. Mathematik. Dr. Hoffmann. — Geschichte und Geographie. Prof. Dr. Merleker. — Homer. Prof. Dr. Hagen.

Dienstag den 6. October,

Vormittags von 9 Uhr an:

Choral, gesungen von der ersten Gesangklasse.

Prima. Physik. Dr. Hoffmann. — Plato. Prof. Dr. Hagen. — Horaz. Der Director. Sätze aus dem Magnificat von F. Durante (I. Gesangklasse).

Lateinische Abschiedsrede des Abiturienten Emil von Ortenberg.

Entlassung der Abiturienten durch den Director.

Schlusschoral.

Am Nachmittag um 3 Uhr werden in den einzelnen Klassen die Versetzungen bekannt gemacht und die Censuren ausgetheilt.

Das neue Schuljahr wird Donnerstag den 15. October, Vormittags 9 Uhr, mit der gemeinsamen Feier des Geburtstags Sr. Majestät des Königs eröffnet. Zur Prüfung und Inscription neu eintretender Schüler werde ich vom 7. October an täglich während des Vormittags in meiner Amtswohnung (Collegienplatz No. 3) bereit sein.

Dr. Horkel.

Tabellarische Uebersicht

über die Vertheilung der Lehrstunden im Schuljahr 1856/57.

Name des Lehrers.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	Summe der wöchentl. Lehrstund.
1. Prof. Dr. Horkel , Director. Ord. I.	8 Latein	6 Latein					14
2. Prof. Dr. Hagen , I. Oberl. Ord. II.	6 Griech.	6 Griech.		6 Griech.			18
3. Prof. Dr. Merleker , II. Oberl.	3 Gesch. u. Geogr.	3 Gesch. u. Geogr.	3 Gesch. u. Geogr.	3 Gesch. u. Geogr. 2 Deutsch			14
4. Dr. Lewitz , III. Oberl.	3 Deutsch 2 Franz. 2 Griech. (I b.)	2 Livius 2 Virgil	2 Franz.	2 Franz.			15
5. IV. Oberlehrer, vacat.							
6. Oberl. Ebel , I. ord. L. Ord. VI.						4 Rechnen 2 Geogr. u. Gesch. 2 Naturk.	8
7. Dr. Zander , II. ord. L. Ord. III.			6 Griech.			10 Latein 2 Deutsch	18
8. Prof. Dr. Zaddach , III. ord. L. Ord. V.			2 Naturk. 2 Deutsch		3 Franz. 2 Geogr. u. Gesch. 3 Rechnen 2 Naturk.		14
9. Lic. Dr. Simson , IV. ord. L. Ord. IV.	2 Hebr.	2 Deutsch 2 Franz. 2 Hebr.		10 Latein			18
10. V. ord. L., vacat							
11. Div.-Pred. Hintz , wiss. Hilfslehrer.	2 Religion	2 Religion	2 Religion	2 Religion	3 Religion	3 Religion	14
12. Dr. Hoffmann , wiss. Hilfslehrer.	4 Mathem. 2 Physik	4 Mathem. 1 Physik	3 Mathem.	3 Mathem. u. Rechnen			17
13. Dr. Müller , wiss. Hilfslehrer.			10 Latein		10 Latein 2 Deutsch		22
14. Krentzberger , Schreib- u. Zeichnenl.				2 Zeichn.	3 Schreib. 2 Zeichn.	3 Schreib. 2 Zeichn.	12
15. Meissner , Gesangslehrer.	I. Gesangsklasse 3 II. " 2 III. " 2 Klasse für mutirende Stimmen 1						8



